Tyranni Heracleæ. 144.

V.

Vaillantius hallucinatur in numis Seleuci II., 42.
Vas olei præmium in Panathenæis, 176, 194.
Veſpaſianus junior a Domitiano adoptatus, 249.
Venus ab Aſſyriis culta, 76, 77. *Bacchi uxor*, ibid. *Ejus veneratio Aphacæ in monte Libano*, 76. *In numis Athenienſibus*, 181. *Armata*. 182. *Cur ita repræſentata?* 182, 183. *Dicta Urania*, ibid. *Præcipua in ſignis Pantheis*, 76.
Voluſianus imp., 280. 281.
Winchilſea ill. comitis adnotationes in numos Athenienſes, 159, ad 236.
Urbes Phœniciæ Demetrio fideles, 74.
Vulcanus in numis Athenienſibus, 184.
Uxor anonyma Demetrii I., 57.

A II 9

ADPENDICVLA
AD
NVMISMATA GRÆCA
POPVLORVM ET VRBIVM

A

IACOBO GESNERO

TABVLIS ÆNEIS REPRÆSENTATA

OPERA ET STVDIO

ALOYSII COMITIS CRISTIANI

In Collegio Regio Thereſiano

Phyſicæ, Hiſtoriæ, & Matheſeos Auditoris.

ANNO SAL. MDCCLXII.

VINDOBONÆ,

TYPIS GEORGII LVDOVICI SCHVLZII,

ACADEMICI TYPOGRAPHI.

LECTORI.

Omnium fere ſcientiarum, artiumque ea ſolet eſſe conditio, ut certos tandem offerant limites, quos dum adtigeris, vix aliquid in eis novi reperias amplius: plurimum ab his differt antiquitatis ſtudium, quod ſi immenſum, ac pene infinitum adpellavero, non nimium dixero, cum aliis ſemper, atque aliis monumentis, obſervationibusque hominum ingenia exer-

ceat ſimul, & adliciat. Unde commune doctiſſimis conſilium fuiſſe animadverti, ut majora antiquariorum opera præclaris quibusdam adceſſionibus augerent: præſtitit id Cel. Frœlichius in adpendiculis ad numos Vaillantii: facit id etiamnum ſumma cum laude Cl. Belley membrum Academiæ Pariſinæ in ſupplementis ad Card. Noriſii epochas Syromacedonum: at nullus fere de urbibus cogitavit adhuc. Hæc mente cum revolverem, peropportune laudatus alias Khellius aditum ad muſeum D. Ilgneri eruditi hujatis, quod & regum, & urbium potiſſimum raris numis nitet, aperuit: rogatus hic pro eximia, qua gaudet, humanitate, & in rem literariam ſtudio copiam omnem lubenter fecit eos & edendi, & meis adnotationibus illuſtrandi. Unum præterea, alterumve Khellii,

cui

cui omnem, ſi quam habeo, antiquitatum notitiam debeo, elegans ſane numiſmatum collectio ſuppeditavit.

Cum neminem ex antiquariis ſcirem, qui plures ex diverſis autoribus congeſſiſſet urbium numos, quam Cl. Gesnerus, adpendiculam meam, velut continuationem ejus operis inſcripſi. Numorum delectum ſummum feci adeo, ut eos, qui poſt Gesnerum a Cl. Arrigonio ſcalptis typis, aut in muſeo Theupoli, aliisve, quos noveram, deſcripti ſolum fuerant, etſi in Tigurini collectoris opere abeſſent, neglexerim omnino. Cavi in meis obſervationibus prolixum, aut repetitione moleſtum ſcribendi genus, quod in Haymio non ſemel ipſe apud me reprehendi. Utere his lector,

& quæ improbanda fuerint, iis omnibus concede, quæ me ab hoc conatu abſterrere poterant: animo graviſſimis diſciplinis ediſcendis diſtracto: temporis anguſtiis, cujus ſolum ſubſecivarum horarum particulas numario huic tentamini ſeponere licebat: ætati pueritiam vix egreſſæ: denique magnitudini ipſius argumenti.

ATHE-

ATHENIENSIUM.

Caput Palladis galeatum.)(ΑΘΗ. Ceres ſeminuda vecta bigis draconum d. protenſa ſpicas cum papavere tenet. *Tab. I. N.* 1.

Numum hunc integerrimum merito proferendum duxi, cum quod nec in ampliſſima collectione Com. de Winchilſea, nec alibi unquam, quod ſciam, fuit editus, tum quod averſæ typus mihi dubium aliquod movit non omnino negligendum. Videram hic Cererem eodem typo, qui in Eleuſiniis ab uno hactenus Haymio productis numis velut eſt domeſticus, anticæ in Athenienſium moneta obviæ conjunctum: obſervaveram præterea inter Athenienſes numos Com. de Winchilſea unum aliquem ab Haymio Tab. 16. depictum, qui ſordam ſuem, quæ in Eleuſiniorum ære ſemper eſt conſignata, pariter repræſentat.

Quid ſi, ajebam, communis illa opinio non ita firmo pede conſiſteret, majora Cereris myſteria ſolum Eleuſine, non vero Athenis etiam celebrata eſſe, atque urbem hanc principem, totiusque Græciæ oculum minori initiatione

Agris

Agris facta contentam fuiſſe, id quod cum Meurſio agmen ſcriptorum adfirmat? Quo magis a magiſtris meis turbam ſequi dedoctus ſum, niſi argumentorum pondus compellat, eo curioſius in hæc inquirendum exiſtimavi, quod ſciebam a nemine quæſtionem hanc pertractatam. Critica igitur diſcuſſione adhibita viſum eſt, ipſis Athenis horum ſacrorum celebritatem nequaquam adimendam. Id tamen moneo, quidquid hac ſuper re ſcripturus ſum, non aliter, quam dubium e numis ſubortum me proponere, quod an ſatis probabile, viderint eruditi.

Locum quemdam Athenis extitiſſe Eleuſinium nominatum, qui ab oppido Eleuſine tantum differret, quantum locus *a quo* a loco *ad quem*, clare conficitur ex oratione Andocidis de myſteriis *pag.* 15. Επιδὴ γὰρ ἤλθομεν Ελευσινόθεν --- ὁι δὲ Βρυτάνεις --- ἀπάγγειλαντ᾽ ἐκέλευον ἐμοὶ, καὶ Κηφισιῷ παρεῖναι εἰς τὸ Ελευσίνιον. *Dum rediviſſemus Eleuſine - - - Brytanes - - - juſſerunt mihi, & Cephiſio indici, ut adeſſemus in Eleuſinio.* Templum vero fuiſſe, & non δικαστήριον aliquod, ſuadet hic ipſe locus, in quo ſtatim ſubjungitur: Η γὰρ βουλὴ ἐκεῖ καθεδεῖσθαι ἔμελε, κατά τὸν Σόλωνος νόμον, ὅς κελέυει τῇ ὑστεραίᾳ τῶν μυστηρίων ἕδραν ποιεῖν ἐν τῷ Ελευσινίῳ: *Senatus enim illic ſeſſurus erat ſecundum Solonis legem, quæ jubet die myſteria conſequente conſeſſum in Eleuſinio fieri.* Iam vero ſenatum præſertim de ſacris cognoſcentem in templis ea ætate cogi conſuetum omnes novimus.

Confirmat idem diſertis verbis Pauſanias, ejus quoque ſitu determinato in *Atticis pag.* 25. Ες δὲ τὸ Αθήνησιν εἰσελθοῦσιν ὠδεῖον ἀλλά τε, καὶ Διόνυσος κεῖται θέας ἄξιος. Πλησίον δέ

ἐστι

ἐςι κρήνη, καλοῦσι δὲ αὐτὸν Ἐννεάκρουνον - - - ναοὶ δὲ ὑπὲρ τὴν κρήνην, ὁ μὲν Δήμητρος πεποίηται, καὶ Κόρης: & *pag.* 26. τὸ Ἀθήνησιν ἱερὸν καλούμενον δὲ Ἐλευσίνιον. *Cum vero Athenis Odeum introieris, & alia ſpectatu digna, & Liberum Patrem conſpicies, juxta quem fons eſt dictus Enneacrunon .... templa vero ultra fontem* (non *ſupra fontem*, ut Amaſæus interpretatur) *ſunt duo: unum Cereris, & Proſerpinæ .... templum Athenis, cui nomen eſt Eleuſinium.*

Videri autem poſſet in hac ſitus deſcriptione cum Pauſania pugnare S. Clemens Alexandrinus, qui *Protrept. pag.* 39. Eleuſinium ab oppido Eleuſine etiam diſtinctum infra arcem collocat: Ἴμμαρος δὲ ὁ Εὐμόλπου, καὶ Δαείρας, οὐχὶ ἐν τῷ περιβόλῳ τοῦ Ἐλευσινίου, τοῦ ὑπὸ τῇ ἀκροπόλει: αἱ δὲ Κελεοῦ θυγατέρες οὐχ' ἐν Ἐλευσῖνι τετάφαται; *Nonne Immarus Eumolpi filius, & Dairas in Eleuſinii ſeptis, quod infra arcem conſtructum eſt? Nonne Celei filiæ Eleuſine ſepultæ ſunt?* Non difficulter hæc componam, nam etſi Enneacruni ſitus dubius ſit, ut præclare obſervavit Sponius *Voyage Tom. II. p.* 210. non multum tamen ab Acropole diſſitum fuiſſe liquebit, ſi Pauſaniæ & Sponii paſſus ſingulos ſequamur. Ille poſt odeum templum Bacchi cum vicino Enneacruno conſtituit, huicque contiguum facit Eleuſinium: Ναοὶ δὲ ὑπὲρ τὴν κρήνην ὁ μὲν Δήμητρος πεποίηται. Aſt theatrum Acropoli tam propinquum dicit Sponius, ut gradus magno ſumtuum in ſubſtructiones faciendorum compendio ipſi Acropolis colli inſidere oculatus teſtis adfirmet. *Voyage T. II. p.* 161.

Dubium hactenus adlatum auget ipſe numi typus: Ceres draconibus vecta gemina omnino eſt illi, quæ in Eleu-

ſiniorum moneta ſpectatur: novimus autem numorum ſigna ex ſtatuis depicta: ita Dianam polymaſten eandem in ære percuſſam videmus, quam templum Epheſinum condebat. An non arguere licebit, ſimile prorſus ſignum in templo Athenienſi τῷ καλȣμένῳ Ελευσινίῳ cultum fuiſſe, quale Eleuſinem celebrem adeo fecerat, immo ejusmodi ſtatua ad rite peragenda myſteria per ſacras hujus ſuperſtitionis leges opus fuiſſe. Non deerit forſan, qui objiciat in diverſarum urbium numis Epheſiam Dianam cælatam, neque tamen illico de iisdem religionis ritibus probabile aliquid decerni poſſe, perſæpe Ομονοίαν ſolum, quæ inter urbes intercedebat, tutelarium numinum effigie eſſe deſignatam.

Dare id quidem debeo, niſi antiquariam ejurare velim; at nuspiam iis in urbibus Epheſiæ templum conſtitutum, quæ ejus ſignum præferunt, id equidem negavero. Omitto præter alia, quæ Pauſanias in *Meſſen. p.* 275. de Diana refert a Meſſeniis culta ſub nomine Laphriæ: τὸ μὲν δὴ τῆς Λαφρίας ἀφίκετο ὄνομα ἐς τε Μεσσηνίȣς, και ἐς Πατρεῖς Αχαίων μόνȣς: *Laphriæ quidem nomen apud Meſſenios, & ex Achæis ſolos Patrenſes obtinet.* Εφεσίαν δὲ Αρτεμιν πόλεις τε ὀνομάζȣσι αἱ πᾶσαι. *Eandem autem illam urbes omnes Epheſiam adpellant.* Hujusmodi, inquam, omnia prætereo ob aliud ſubnatum dubium. Eccur, cedo! in numis familiæ Memmiæ, quorum epigraphe celebratorum primum Cerealium mentionem facit, eodem omnino cultu ſe ſiſtit Ceres, quo in Eleuſiniorum, atque noſtro hocce Athenienſi eſt effícta? An non effigiei ſimilitudo intimam aliquam cum myſteriis ipſis connexionem indicat?

Dubii

Dubii hujus momentum creſcet, ubi eandem Eleuſinio templo Athenis ſtructo cum eo, quod in oppido Eleuſine erat conditum, religionem, venerationemque fuiſſe oſtendero. Conficio id liquidiſſime ex Pauſania, qui iisdem pene verbis de utroque. De Eleuſiniorum quidem æde *pag.* 71. ita: Τὰ δὲ ἐντὸς τοῦ τείχους τοῦ ἱεροῦ τότε ὄνειρον ἀπεῖπε γράφειν. *Quæ vero intra templi parietes conduntur, ſcribere ſomnio prohibemur:* atque mox rationem ſubjicit, quia non initiatis ſolum ea videre interdictum, ſed nec percontari quicquam, aut audire fas eſt. Vide jam, ut de Athenienſi ad Enneacrunon, & Acropolim extructo loquatur *p.* 26. Πρόσω δὲ ἰέναι με ὡρμημένον τοῦδε τοῦ λόγου, καὶ ὁπόσα ἐξήγησιν ἔχει τὸ ΑΘΗΝΗΣΙΝ ἱερὸν, ΚΑΛΟΥΜΕΝΟΝ δὲ ΕΛΕΥΣΙΝΙΟΝ ἐπέσχεν ὄψις ὀνείρατος. *Longiore vero oratione conantem ſingula perſequi, & omnia, quæ de templo ATHENIENSI dicto ELEUSINIO commemorari poſſent, explicare quædam me viſa per ſomnum ſpecies deterruit.* An forſan religioſiſſimus Pauſanias, qui ad ſummos apices alias deorum ſtatuas nobis deſcripſit, veritus fuerit, Cererem nobis in bigis draconum depingere, quæ in Eleuſiniorum, Athenienſium, & Romanorum numis cælata omnium manibus terebatur? Quis hic non perſpicit de iisdem Athenienſis templi arcanis agi, quæ dum de oppido Eleuſine ſcriberet, adſeverabat nec initiatis eliminare, nec profanis audire fas eſſe?

Argumento ex ſacris, ſi ita loqui licet, petito uſus ſum hactenus ad dubium meum conſtabiliendum; ſuccedat jam ex politicis aliquod, & ex triariorum quidem contubernio. Bellum ſub Erechtheo Athenienſes inter, & Eleuſinios exortum poſt acerrimam pugnam his conditionibus eſt termi-

natum teſte Pauſania *p.* 71. Ως Ἐλευσινίους ἐς τὰ ἄλλα Ἀθηναίων κατηκόους ὄντας ἰδίᾳ τελεῖν τὴν τελετὴν *Ut Eleuſinii ſe, ſuaque omnia in Athenienſium poteſtatem traderent, myſteria tamen ſeorſum celebrarent.* Hic ſane de aliis, quam de magnis myſteriis ſermo eſſe non poteſt, quæ ſcilicet ſola tanto agitari bello, atque in pacis conditionibus poni promerebantur. Ipſa autem illa exceptio ἰδίᾳ *ſeorſim* innuit Athenis majora quoque myſteria celebrata fuiſſe. Etenim ita apud me exiſtimo, illa ante bellum vel utrobique, vel Athenis communi celebritate fuiſſe frequentata: horum vero quodcunque adſumſeris, obtinebit Athenis etiam deinceps majoribus myſteriis initiatos eſſe; neque enim video, quis alias exceptioni illi ἰδίᾳ, *ſeorſum* locus foret.

Illuſtrabo hanc amplius: narrat Soranus in vita Hippocratis: hunc jure civitatis accepto ſecundum inde ab Hercule PUBLICE Eleuſiniis ſacris initiatum eſſe: οἵτινες (Ἀθηναῖοι), καὶ δεύτερον αὐτὸν ἀφ' Ἡρακλέους ΔΗΜΟΣΙΑ ἐμύησαν. Excerpſit hoc Soranus ex decreto Athenienſium, quod *vide edit. Venet.* 1588. *Oper. claſſ. IV. p.* 82. Ἵνα χάριν ἀποδῷ πρέπουσαν Ἱπποκράτει ὑπὲρ τῶν εὐεργημάτων, δεδόκηται τῷ δήμῳ μυῆσαι αὐτὸν μυστήρια τὰ μεγάλα δημοσίᾳ: *ut gratiam condignam Hippocrati pro benefactis referat, viſum eſt populo ipſum publice magnis myſteriis initiandum.*

Dabo interim, ut Meurſius cum aliis vult, pro myſteriis Eleuſine ſolum celebrandis & regem ſacrorum, & hierophantem, & curatores ἐπιμελητάς denique ex Athenienſibus electos; adhæreo ſolum in illo ΔΗΜΟΣΙΑ, quod in publicis tabulis otioſum eſſe non poteſt. Quantum ex Hel-

lade

lade deguſtavi, ſcio δημοσίᾳ oppoſitum eſſe τῷ ἰδίᾳ, illudque non ad δεδόκηται, *viſum eſt*, quod mos, & lingua Græcorum pateretur, ſed ad μυῆσαι eſſe referendum. Tabulas tabulis jam opponamus: petunt Eleuſinii in fœdere: liceat ſibi myſteria ἰδίᾳ, *ſeorſim* celebrare: decernunt Athenienſes Hippocratem δημοσίᾳ, *publice* initiandum. Cum præterea de ſacris arcaniſſimis agatur, non adſequor, quo τὸ PUBLICE pertineat, niſi ad templum Athenienſe princeps, ad quod forſan pro myſteriis ipſos Eleuſinios ante illam pacem adeſſe oportebat; nimirum ad illud templum, de quo eadem cum religione Pauſanias loquitur, qua de altero Eleuſines oppidi. Arbitror etiam majorem aliquam celebritatem fuiſſe adhibitam, cum aut nemini alii, aut paucis admodum is honor obtigerit.

Neque enim quis dixerit, ideo ſingulare fuiſſe ornamentum ab Athenienſibus collatum, quia in exterum εἰς ξένον, (qualem Herculem nominat Ariſtides in Panathenaicis) in medicum ſcilicet ex inſula Co oriundum. Permitto, olim forſan Aſiaticos Græcos excluſos, nego tamen id de Hippocratis ætate. Præclaram hic Athenienſibus impenderat operam graſſante anno belli Peloponneſiaci II. A. X. 430. peſte. Verum Herodotus *lib. VIII. p.* 479. *edit. Gronov.* loquens de Eleuſiniis: τὴν δὲ ὁρτὴν ταύτην ἄγουσι Ἀθηναῖοι ἀνὰ πάντα ἔτεα τῇ μητρὶ, καὶ τῇ Κόρῃ, καὶ αὐτέων τε ὁ βουλόμενος, καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων μυεῖται. *Feſtum autem hoc Athenienſes quot annis celebrant in Cereris, & Proſerpinæ honorem, & his ſacris, quicunque vult, etiam aliorum Græcorum initiatur.* Legerat Herodotus ſuos libros in Panathenæis jam Olymp. LXXXIII. anno IV. A. X. 445. tum ergo nemo amplius

Græcorum ξένος habebatur, ne generatim locutum hiſtoricum minus adcuratum faciamus. Quid quod talem ab Athenienſibus habitum Hippocratem ex ipſo eorum decreto colligitur, dum enim laudant ſpretam cum oblatis opibus Artaxerxis invitationem, ſubjiciunt rationem, qua ad id impulſus fuerat: ὅτι πολέμιος, καὶ κοινὸς ἐχθρὸς ὑπῆρχε τοῖς Ἕλλησι: *quia hoſtis, & communis Græcorum inimicus erat.* Idem proteſtatus fuerat in epiſtola ad Hyſtanidem Hippocrates ipſe: οὔ μοι θέμις βαρβάρους ἄνδρας νούσων παύειν ἐχθροὺς ὑπάρχοντας Ἑλλήνων: *Fas mihi non eſt, barbaros homines a morbis liberare, qui hoſtes ſunt Græcorum.*

Adcedit, quod de Auguſto ſcripſit Suetonius *pag.* 271. *Edit. Grævii. Athenis initiatus, cum poſtea Romæ pro tribunali de privilegio ſacerdotum Atticæ Cereris diſceptaretur, & quædam ſecretiora proponerentur, dimiſſo concilio, & corona circumſtantium ſolus audiit diſceptantes.* De magnis hic myſteriis agi debet cum ob Romani imperatoris dignitatem, tum ob arcana, quæ nec a concilio audiri volebat Auguſtus: his vero Athenis initiatus cum fuerit, dubio de majoribus etiam myſteriis ibidem actis non parva rurſus veriſimilitudo conciliatur, ſimulque liberrimo illi adſerto Meurſii *c. VI. Majora enim Eleuſine, minora Agris habebantur: De majoribus res vulgata eſt*: non parum decedit.

Verum nec parva Cereris myſteria Agræ Athenis vicinæ celebrata fuiſſe, ita certum eſt, ut Meurſius dictatoris more decidit. Quid? inquies: ut dubium reſpuetur, quod plurimis autorum teſtimoniis eſt firmatum? Id quidem minime; nam & ego ſcriptoribus omnia defero, ſed ad critices

ces regulas expenſis: ſingularia vero illa argumenta, quibus ſyſtema ſuum tuetur Cl. Meurſius, adtentius paullulum inſpiciamus.

Primus profertur Stephanus Byzantinus: Αγρα, καὶ Αγραι, χωρίον. . . . . ἔςι δὲ τῆς Ατλικῆς πρὸ τῆς πόλεως, ἐν ᾧ τὰ μικρὰ μυςήρια ἐπιτελεῖται: *Agra*, vel *Agræ* . . *eſt locus in Attica extra urbem, ubi minora myſteria peraguntur.* Hunc quidem Sæculi V. ſcriptorem, aut potius Hermolaum recentiorem ejuſdem compilatorem parum moror, qui ab antiquiore grammatico hæc minus adcurate, ut Meurſius ipſe, deſcripſerit. Et reapſe ita habet Heſychius: Αγραὶ, χωρίον Αττικὸν ἔξω τῆς πόλεως. Ιερὸν Δήμητρας. καὶ ςρατιῶται δέτινές ὅτως ἐκαλῦντο. *Agræ, regio Attica extra urbem. Templum Cereris; & milites aliqui ita nominantur.* Etymologicon magnum ex pluribus grammaticis conſarcinatum ita: Αγρα, Δήμητρος ἱερον λέγεται. Και ἡ θήρα. Λεγόνται δὲ πληθυντικῶς καὶ οἱ τόποι. *Vocabulo Agra templum deſignatur Cereris; Item venatio, Regio etiam plurali numero enuntiatur.* Quis hic non videt diverſas ejusdem nominis notiones punctis ubique interjectis proponi? id ſolum vult Heſychius, aliquem terrarum tractum extra Athenas Agrarum nomine notum fuiſſe, quod cum Pauſania conſentit. Subjicit deinde Cereris ædem ita adpellatam, neque tamen, cum interpungat, eo in agro ſtructam adfirmat, niſi velis etiam milites Agras dictos, ibidem ſtationem habuiſſe, de quorum illo ſilet Pauſanias, de hoc alii quoque omnes.

Si grammaticis tandem pugnandum eſt ferulis, eam adverſario pugnam offeram, ex qua an abiturus ſit, quin vapulet,

pulit, novum dubium. Scribit ſcholiaſtes Ariſtophanis in Pluto *actu IV. ſcen. II.* Μέγαλα, καὶ μικρὰ μυστήρια ἐτελοῦντο ἐν Ἐλευσῖνι. *Magna, & parva myſteria celebrantur Eleuſine.* Ergo ſi uno, eodemque in loco celebrata erant & magna, & parva Cereris myſteria, ut ſcholiaſtes innuit, Eleuſine nempe, cedo! cur Agræ parva fuiſſent habita, niſi magna item Athenis in templo τῷ καλουμένῳ Ἐλευσινίῳ, de quo religioſo Pauſaniæ, ne plura loqueretur, a ſomnio impoſitum fuerat ſilentium, peracta fuiſſent? Creſcit argumenti a Pauſaniæ ſilentio petiti vis, ſi conſideretur, tam arcanos non fuiſſe minorum myſteriorum ritus, ut ſine piaculo divulgari non poſſent. Ad grammaticum redeo, ex quo Stephanus a Meurſio productus hauſerit, Heſychium ſcilicet, qui ad phraſin: Ἄλα δένυσται vel ut Meurſius *cap. XXXIII.* corrigit, Ἄλαδε μύσται, ita habet: ἡμέρα τις τῶν ΑΘΗΝΗΣΙ μυστηρίων: *dies aliqua myſteriorum, quæ ATHENIS celebrabantur.* Magna ergo etiam Athenis adminiſtrabantur; cum, quod dicit diem *aliquam* myſteriorum, patet pluribus diebus (id quod de parvis aliquem ſcribere non memini) & Athenis quidem, Ἀθήνησι, has religiones exercitas fuiſſe.

Sequitur apud Meurſium ſtratagematum collector Polyænus, qui *lib. V. c.* 17. Ταῦτα μὲν συνέθεντο παρὰ τὸν Ἰλισσὸν, οὗ τὸν καθαρμὸν τελοῦσι τοῖς ἐλάττοσι μυστηρίοις: *Hæc ad Iliſſum tranſigebant, ubi luſtratio fieri conſuevit minoribus myſteriis.* Magnum ſane argumentum! Quia ad Iliſſum minoribus myſteriis initiandi luſtrabantur, Agræ templum erat Cereris, Agræ minora celebrabantur myſteria, Agræ ad hæc admittebantur Eleuſinii. Præclare! Optime! Quam hic negligens Pauſanias, qui tamen alias in ſacris deſcribendis non adcuratus

tus modo, ſed & fuſioris ſtyli? De Agra agens templi Dianæ meminit, & Cererem, cui forſan ea, qua ſcripſit, die iratus erat, præterit. Hic, qui aliis in oppidis, & triviis etiam omnes ſtatuas, ritusque omnes adnotavit, de myſteriis Agræ habitis tacet. Silet de pompa, qua Eleuſinii candidatos ſuos per ipſas Athenarum plateas ſimili ratione traduxerint, ac Athenienſes ſexta myſteriorum die Jacchum Eleuſinem deportabant. Quis enim de hoc dubitet, ſi nemo magnis niſi Eleuſine conſecrari poterat, pro parvis autem ſolæ extra Athenas Agræ erant deſtinatæ? quippe ſine minoribus his ad majora adſpirare nefas erat. Quam impii Athenienſes, qui, poſtquam, ut diximus, Eleuſiniis conceſſiſſent, ut myſteria ἴδια celebrarent, eos coegerunt, ut Athenas ſuos ſemper deducerent pro prima horum ſacrorum præparatione. Quid ſi Athenienſes ſuos Iliſſi aquis, Eleuſinios Cephiſo forſan luſtraſſe dicerem? Hac profecto ratione eliſo telo, quod Polyænus ſuppeditare videtur, & a Pauſania negligentiæ, & ab Athenienſibus iniquitatis labem tollerem, neque aliquid obſtaret præterea.

Multo commodius Meurſius pro ſuis his vadibus in medium adducere potuiſſet marmor Arundelianum, majorem ſane ad ſpeciem ſibi fidem conciliaſſet, quam per grammaticos, & Polyænum, qui, quod adfirmat, aliud agens ſcribit. Parius chronologus Epoch. *XIX.* ita Αφ’ οὗ καθάρσια ἐγένετο Ἀθήνησι, καὶ Ἡρακλῆς ἐμυήθη ἐν Ἄγραις πρῶτος, καὶ ἕδος ἐποιήθη. κ. τ. λ. *A quo luſtratio facta fuit Athenis, & Hercules primus initiatus fuit Agris, & ſacellum conditum fuit &c.* Attamen dubio meo parum a pretioſiſſimo hoc lapide metuo; nam præter ſuperius dicta primum obſervari velim,

etſi ob marmoris dignitatem liquido τὸ ἔδ[illegible]ος, quod quidem etiam ſimulacri notionem fert, *ædem* aliquam *ſacram* deſignet, nullam tamen fieri numinis mentionem, cui Sacellum fuiſſet dedicatum; & quidni deam illam arbitremur, quam commemorat Pauſanias, quæ hinc etiam nomen Αγροτέρας *Venatricis* traxit, quia: Ενταῦθα Αρτεμιν πρῶτον θηρεῦσαι λέγουσιν ἐλθοῦσαν ἐκ Δήλου: *Ibi Dianam, ubi ex Delo venit, primum venatam fuiſſe aiunt.* Deinde facta hæc ſunt βασιλεύοντος Αθήνησιν Αιγέως, ſub rege Ægeo: novimus autem ex epocha conſequente XXI. a Theſeo primum duodecim Atticæ pagos in urbem unam collectos eſſe. Quis tum Eleuſinium illud ad Acropolim, de quo tanta cum reverentia Pauſanias, Athenis quæſiverit? Denique ſi Cereri etiam ædes dedicata fuiſſet, locus non ſatis aperte a chronologo deſignatur, an ſcilicet Athenis, an Agris fuerit.

Ut adeo dubium perpenſis omnibus, an Agris ſolum parva, magna myſteria Eleuſine ſolum fuerint celebrata, adhuc ita obtineat, ut tam ex fœderis conditione, quam ſumma Athenienſis Eleuſinii religione in eam partem propendeam potius, utrobique majoribus initiatos fuiſſe eo diſcrimine, ut, qui Athenis ἐπόπται creabantur, Iliſſi, qui Eleuſine, Cephiſi undis luſtrati μύσται fierent; idque eo magis mihi perſuadetur, quod Cl. philologus, ut *c.* 33. de Eleuſiniis facit, fateri cogitur ex Pauſania, & aliis, Eleuſinia a Celeenſibus, Phliaſiis, Lacedæmoniis, Parrhaſiis, Cretenſibus, & Romanis iiſdem fere ritibus: a Pheneatis autem eodem omnino modo fuiſſe celebrata: an forſan etiam hi ex Arcadia ſuos in Atticam Agras ducere debebant? An Athenienſes ſibi majorum myſteriorum jus ab Eleuſiniis

unquam

unquam extorqueri paſſi fuiſſent, ubi remotas etiam gentes eodem gaudere intellexiſſent? Sed dubitatum eſt ſatis.

ALEXANDRINORUM.

Caput obverſum laureatum incuſo ad mentum capite diademato.)(ΑΛΕΧΑΝ. Mons, cui impoſita lyra, intra lauream. *Tab. I. N.* 2.

Numus ad Alexandriam referendus, quæ Troas antea dicebatur teſte Plinio *l. V. c.* 33. *Troas Antigonia dicta, nunc Alexandria colonia Romana.* Caput obverſum Herophiles ſeu Sibyllæ Erythrææ eſſe videtur, idque meliore multo jure conſtituo, quam quo Triſtanus *T. I. p.* 753. Apollinem nudum in Criſpinæ numo, atque alias in Troadenſibus frequentem Sibyllam fecerat. Etenim quotiescunque caput Apollinis etiam obverſum, ut in Rhodiorum, aliorumque populorum numis occurrit, ea ſemper ineſt oris gratia, quam Callimachus paucis depingit *hymn. in Apoll. v.* 36.

> ἀεὶ καλὸς· καὶ ἀεὶ νέος.
> *Semper pulcher, juvenisque ſemper.*

In omnibus numorum ſignis effingitur, ut eum deſcribit *Anthol. Lib. V. epigrammat.*

> Εἶχε γὰρ ἀμφοτέροισι κόμης μεμερισμένον ὤμοις
> Βόστρυχον αὐτοέλικτον.
>
> *Criſpus ſponte ſua cincinnus ſparſus utroque*
> *Fluxerat ex humero.*

Nihil tale noſtro in numo comperio, nulli volitant capillorum plexus, vultus ejusmodi eſt, qualis Pythia aut

Sibyllarum ἐκ τȣ̃ θεȣ̃ κατόχων, ut hic Pauſanias, (*a deo correptarum*) fuerit; laurea ipſa non tam corona, quam ſylva, qualem nunquam in Apollinis ſignis obſervamus, conjecturæ ſuffragatur. Et ſane conveniebat, ut quæ patriam illuſtraſſet, cujusque ſepulcrum elegis ornatum in Sminthei luco oſtendebatur, a Troadenſibus in moneta etiam conſignaretur.

Variæ de ejus genere opiniones, nec de patria conſenſus. Ab aliquibus Græci Jovis, & Lamiæ Neptuno genitæ, ab Erythræis autem, qui eam maximis ſtudiis ſibi vendicabant, Theodori paſtoris, & nymphæ Idææ filia dicebatur. Attamen plus deferendum videtur ſuo ipſius carmini nobis a Pauſania in *Phoc. p.* 630. conſervato, ex quo patriam ejus Marpeſſum diſcimus; ita canit:

Μητρόθεν Ἰδογενὴς, πατρὶς δέ μοι ἐστὶν ἐρυθρὴ
Μάρπησσος μητρὸς ἱερή, ποταμὸς δ' Αἰδονεύς.

Quod tam in Florentina editione anni 1551., quam Francofordienſi 1583., Lipſienſi, & Hanoviana, qua utor, Gallica item anni 1731. (his enim omnibus bibliotheca Garelliana eſt inſtructa) male in Latinum converſum, ita reſtituendum arbitror.

Fecerat Idogenam mater, ſed patria rufa
Eſt mihi Marpeſſus matris de numine ſacra
Ædoneus fluviusque.

Ita ſane locum cum Pauſania intellexit Tibullus *l. II. Eleg.* 5.

Quidquid Amalthea, quidquid Marpeſſia dixit,
Herophile Phœbo grata quod admonuit.

Quod

Quod hiſtoriam Sibyllæ noſtræ adtinet: vixit ante bellum Trojanum, atque Helenam Spartæ in Aſiæ, & Europæ perniciem, Iliique ruinam educatum iri prædixit: magnam vitæ partem egit Sami, Delphis ſaxo inſiſtens vaticinari ſolita, Claron tamen & Delon venit etiam; in Troade tandem obiit. Incuſum caput Lyſimachi, cujus opera Troas fuerat reſtaurata, aut alterius ex Alexandri ducibus eſſe arbitror, neque enim ex tam parva effigie divinari aliud licet etiam Sibylla præſide.

Mons partis averſæ Ἴδη τρωικὴ eſt haud dubie, ubi Herophiles patria Marpeſſus, cujus ruinas ſua ætate fuiſſe teſtatur Pauſanias *loco cit.* Ἦν δὲ ἔτι, καὶ ἐν τῇ Ἴδῃ τῇ τρωϊκῇ πόλεως Μαρπήσσου τὰ ἐρείπια, καὶ ἐν αὐτοῖς οἰκήτορες ὡς ἑξήκοντα ἄνθρωποι. *Extant autem adhuc in Ida Phrygiæ Marpeſſi urbis veſtigia, quo loco ſunt inquilini circiter LX.* Lyra & cum Apolline, qui in hujus urbis, ſubinde coloniæ, numis ſæpe conſpicitur, & cum Herophile optime convenit, de qua Pauſanias *loco cit.* Ἀπόλλωνος γυνὴ γαμετὴ, τὸ δὲ ἀδελφὴ, καὶ αὖθις θυγάτηρ φησὶν εἶναι: *Apollinis uxorem, ſororem & filiam ſe dicebat.*

Id hic non prætereundum Troadem, de qua agimus, a vetere Ilio, ut diverſam, ita XXX. ſtadiis diſſitam fuiſſe. Situm definit Strabo *lib. XIII. p.* 604. Νῦν ἡ Ἀλεξάνδρεια συνεχής ἐστι τῷ Ἀχαιῷ: *Alexandria nunc Achæum adtingit*: de hoc vero paullo ſuperius locutus, Lariſſam, Chryſam ad mare ὑπὲρ τῆς θαλάσσης ἱδρυμένην, & Hamaxitum ei facit contiguas, hanc denique promontorio Lecto, ſeu *Baba-burnu* hodierno admovet: ἡ Ἀμαξιτὸς ἡ τῷ Λεκτῷ ὑποκειμένη. Si igitur Alexandria

dria noſtra argumento, temporibusque Æneidos reſponderet, magis apte ad geographiam ceciniſſet Virgilius *lib. II. v.* 21.

Eſt in conſpectu Tenedos notiſſima fama
Inſula.

Vide, ſi placet, mappam Helleſponti a Cl. Anvillio *T. XXVII. Memoires de l' Academie des belles lettres p.* 118. recentiſſime exhibitam, & illuſtratam. Pagus erat hæc Troas ante Darium Codomanum, exiguumque Minervæ templum habebat. At Orientis debellator Alexander, antequam ad Granicum pugnaret, perpetratis Ilienſi Minervæ ſacrificiis fortunam celeberrimæ olim urbis miſeratus, victis ſubinde primo prælio Perſis, templum donis cumulavit, Troadem ipſam nomine urbis ornatam, ædificiisque auctam liberam, & a tributis eximiam eſſe voluit, plurima alia pollicitus, a quibus tamen præmatura morte eſt impeditus. Ita Arrianum *lib. I.* & Plutarchum cum Strabone *lib. XIII. pag.* 593. conciliandos arbitror, quorum primi a memorabili illa pugna Alexandrum Sardes deducunt, alter vero ἀναβάντα μετὰ τὴν ἐπὶ τῷ Γρανίκῳ νίκην reducem victorem hæc in Troadem contuliſſe ſcribit. Suppetebant tamen tum ex præda, quæ mitteret ἀναθήματα, atque forſan ut in matrem pius, ita in Minervam religioſus princeps pretioſa in utramque ſpolia diviſit.

Suſcepere deſignatæ voluntatis exequendæ curam Antigonus primum, tum Lyſimachus, qui & templum condidit, & urbem muro XL circiter ſtadiorum cinctam, atque civibus vicinarum jamjam labentium urbium frequentatam

mutato

mutato Antigoniæ nomine ab Alexandro Alexandriam adpellavit. Perſtitit hæc deinceps, & crevit, dum a Romanis etiam Aſiam intrantibus novi ſplendoris ſpem acciperet, ita enim Juſtinus *lib. XXXI. c.* 8. *Igitur cum ab utrisque* (L. Scipione, & Antiocho) *bellum pararetur, ingreſſique Aſiam Romani Ilion veniſſent, mutua gratulatio Ilienſium, ac Romanorum fuit, Ilienſibus Æneam, ceterosque cum eo duces a ſe profectos, Romanis ſe ab his procreatos referentibus. Tantaque lætitia omnium fuit, quanta eſſe poſt longum tempus inter parentes, & liberos ſolet. Juvabat Ilienſes, nepotes ſuos Occidente, & Africa domita Aſiam, ut avitum regnum, vindicare, optabilem Trojæ ruinam fuiſſe, dicentes, ut tam feliciter renaſceretur.* Implevit hoc abunde Julius Cæſar, qui, ut originem a Venere jactabat, ita conſervata vetere immunitate multis eam ornamentis condecoravit. Octavianus Auguſtus patrui æmulator coloniam Romanam fecit, nec minus beneficos ſe præbuerunt ſucceſſores: Hadrianus eam balneis, & aquæductibus exornavit teſte Philoſtrato in *vita Herodis c.* 3. a Caracalla φιλαλεξανδροτάτῳ, ut eum Dio adpellat, majora eam conſecutam fuiſſe, dubium eſſe non poteſt, cum inde ſuis in numis Alexandriæ nomen diu intermiſſum iterum ſignaverit.

Nec chriſtiana religione, quæ inde a S. Paulo, & Luca ibi conſtituta erat, minus floruit; epiſcopali ſede Cyziceno archiepiſcopo ſubjecta illuſtrem fuiſſe nos docent notitiæ Eccleſiaſticæ; novem hujus urbis Epiſcopos indicat Cl. Le Quien *Oriens Chriſt. T. I.* Ruinæ, quæ hodie ſuperſunt, a peſſimis antiquariis Turcis *Eski-Stambul*, ſeu vetus Conſtantinopolis nominantur; his vero non parum de ſua magni-

magnificentia detraxit commodus ad mare ſitus, atque vicinia Conſtantinopolis, ad cujus exornationem multa abſtracta fuiſſe extra dubium eſt.

AMPHISSENSIUM.

Caput Apollinis laureatum.)(ΑΜΦΙΣΣΕΩΝ. Pilum haſtæ, apri mandibula, botrus, & aſtrum cum monogrammate. *Tab*, *I. N.* 3.

Fuit Amphiſſa Locrorum Ozolarum (in hos enim, Epicnemidios, & Opuntios Locris Græciæ propriæ diviſa erat) urbs clariſſima teſte in *Phoc.* Pauſania *p.* 685. Δελφῶν δὲ ἀπωτέρω σταδίοις εἴκοσι, καὶ ἑκατὸν ἔστιν Ἀμφίσσα μεγίστη, καὶ ὀνομαστοτάτη πόλις τῶν Λοκρῶν: *Stadiorum CXX. itinere Delphis abeſt Amphiſſa Locrorum urbs maxima, & nobiliſſima.* Dandum aliquid eſt Lucano, poetæ nempe, qui eam Phocidi, utpote vicinam, adtribuit *lib. III. v.* 172.

Proxima vicino vires dat Græcia bello,
Phocaicas Amphiſſa manus, ſcopuloſaque Cyrrha,
Parnaſſusque jugo miſit deſertus utroque.

Adcuratior tamen fuiſſet, ſi Ætoliæ eam adſcripſiſſet, ut Pauſanias *loco cit.* ἐσποιοῦσι δὲ αὑτοὺς ἐς τὸ Αἰτωλικὸν αἰσχύνῃ τῶν Ὀζολῶν τοῦ ὀνόματος: *Inſerunt ſe tamen, quia Ozolarum nominis ſuppudet, in Ætolorum gentem.* Atque vel tacente Pauſania aliquam utriusque populi adſociationem factam ipſe poſticæ typus Ætolorum proprius evinceret; gentes enim, quæ in unum aliquod rei publicæ corpus coiverant, eundem mo-

netæ

netæ typum habuiſſe eruimus ex Achæorum numis, quorum monogrammate utebantur omnes Achaiæ, & vicinæ urbes, uti Dyme, Patræ, Pylus, aliæ, de quibus in actis Petropolitanis *T. V. p.* 261. pluribus Cl. Bayerus occaſione numi Ægienſis. Ob cognominis probrum factam ab Ozolis ad Ætolos adjunctionem innuerat ſupra Pauſanias, neque in dedecoris hujus inveſtigatione nos deſtituit; nam relatis loco indicato diverſis narrationibus eam, quam ſubjiciam, potiſſimum probare videtur, neque enim adparet, cur illos puderet, aut ramorum vitis ὄζων, aut aeris aliquamdiu ex Neſſi cadavere, ſane non tota ea regione, fœtidi, ſeu fluvii exhalantis, florumve ἀσφοδέλου; ita ergo noſter: Λέγεται δὲ καὶ ὡς οἱ πρῶτοι τῶν ἐνταῦθα ἀνθρώπων ἦσαν αὐτόχθονες ἐσθῆτα δὲ οὐκ ἐπιστάμενοί πω ὑφαίνεσθαι, σκέπην πρὸς τὸ ῥῖγος θηρίων δέρματα ἐποιοῦντο ἀδέψητα, τὸ δασὺ τῶν δερμάτων ἐς τὸ ἐκτὸς ὑπὲρ εὐπρεπείας τρέποντες, ἔμελλεν οὖν κατὰ τὸ αὐτὸ ταῖς βύρσαις καὶ ὁ χρὼς σφίσιν ἔσεσθαι δυσώδης. *Dicitur præterea ea in regione degentes primos homines indigenas fuiſſe, qui, cum veſtem texere nondum ſcirent, contra frigus corpora ferarum crudis pellibus pilo ob decorem extra verſo protegere fuerant ſoliti; debuiſſe ergo membra ſimilem exuviis fœtorem ſpirare.*

Ad averſæ partis explicationem me fere conciliata cum Ætolis adſociatio jam deduceret, niſi antica etiam animadverſionem mereretur. Etſi ſciam a Cl. Goltzio prolatum numum Ætolorum cum Apollinis item capite, qui Λαθραῖος, vel potius Λαφραῖος, ut Strabo corrigendus aliquibus videtur, eſſe poterit; arbitror tamen typum hujus partis Amphiſſenſium eſſe proprium, cum Pauſanias paullo inferius: Τεθῆναι δὲ τῇ πόλει τὸ ὄνομα ἀπὸ Ἀμφίσσης τῆς Μάκαρος τοῦ Αἰόλου

φασὶν, καὶ Απόλλωνα ἐραςὴν γενέϑαι τῆς Αμφίσσης: *Et nomen ei quidem inditum ab Amphiſſa, quam a Macaro Æoli filio genitam Apollo adamavit.*

Signatæ in poſtica mandibulæ cauſam facile deducimus ex veneratione memoriæ apri Calydonii etiam ad Romanorum tempora perdurante. Nam in deſcriptione templi Tegeatarum Aleæ Minervæ inter plurima, maximique momenti dona, uti Lacedæmoniorum captivorum compedes, lectum Palladi ſacrum, Marpeſſæ Tegeatidis cognomento viduæ ſcutum, apri exuviæ primo loco nominantur a Pauſania in *Arcadicis p.* 530. Αναϑήματα δὲ ἐν τῷ ναῷ τὰ ἀξιολογώτατα ἐςὶ μὲν τὸ δέρμα ὑὸς τȣ̃ Καλυδωνίȣ, διεσήπετο δὲ ὑπὸ τȣ̃ χρόνȣ, καὶ ἐς ἅπαν ἦν τριχῶν ἤδη ψιλόν: *In templo memoratu digniſſima dona ſunt. Apri Calydonii corium, putre jam præ vetuſtate & ſetis undique nudatum.* De Auguſto idem paullo ſuperius *p.* 259. Τῆς δὲ Αϑηνᾶς τὸ ἄγαλμα τῆς Αλέας τὸ ἀρχαῖον, σὺν δὲ αὐτῇ καὶ ὑὸς τȣ̃ Καλυδωνίȣ τȣ̀ς ὀδόντας ἔλαβεν ὁ Ρωμαίων βασιλεὺς Αὔγȣςος: *Vetus Minervæ Aleæ ſignum, & cum eo dentes apri Calydonii Romanorum imperator Auguſtus abſtulit.* En! ut hic ſanctiſſimo iterum ſigno apri λείψανα adjunguntur. Haſtæ pilum optime congruit eorum numis, qui haſtas invenerunt primi teſte Plinio *l. VII. c.* 57. *Lanceas Ætolos, jaculum cum amento Ætolum Martis filium* (inveniſſe ajunt). Idem de botro cenſe; prodidit enim Hecatæus in Ætolia primam vitem repertam eſſe, ut fabulam de cornu ab Hercule Acheloo ademto, atque Ætolis donato omittam, quod quid aliud deſignet, quam Ætoliam omnis generis fructibus abundaſſe? Monogramma magiſtratum indicare videtur, cum in alio muſei Collegii Regii Thereſiani, ceterum gemino, ſit di-

verſum

verſum ſcilicet ΑΕ. An aſtrum ad Amphiſſenſium initiationem Ἀνάκτων παίδων, *Anactum, aut regum puerorum* referendum, cum Pauſanias in *Phoc. p.* 686. inter varias de Diis Anactibus opiniones adferat: ἀλλὰ οἱ μὲν εἶναι Διοσκούρους - - - λέγουσι: *Alii hos Dioſcuros eſſe . . . dicunt*, divinare nolim, cum, quod aſtrum eſt unicum, tum, quod Pauſanias ipſe in Cabiros inclinare videtur.

Conditorem habuit Amphiſſa Andræmonem Amphiſſæ ex Apolline forſan filium: etenim Ariſtoteles in Opuntiorum republica apud Harpocrationem Ἀνδραίμον δὲ ἦν οἰκιστής: *Andræmon autem conditor erat* (Amphiſſæ). Continuis fere urbs hæc calamitatibus eſt afflictata, ut notat Grentesmeſnil in deſcriptione Græciæ antiquæ, nam in cunis fere ab Amphictyonibus graviſſimis pœnis eſt adfecta ob occupatam Criſſam, aratum agrum Apollini conſecratum, nimiamque in peregrinos duritiem: ſub bellum ſacrum minis, & terrore Onomarcho parere eſt coacta: rurſus ab Alexandro Ætolo poſt mortem Alexandri Macedonis, & Perdiccæ arctam obſidionem, regionisque vaſtationem perpeſſi ſunt Amphiſſenſes: tandem a Romanorum duce M. Acilio ex urbe expulſi, & in arce munitiſſima, ad quam confugerant, ſummis conatibus impetiti ſunt, e quo tamen periculo a P. Scipione, cujus opera ſex menſium inducias, quibus legatos Romam mitterent, obtinuerant, liberati fuerunt. Atque hæc fere ſunt, quæ de Amphiſſa a veteribus accepimus. Habitatur adhuc a Turcis, qui Salonam ſuam ejusdem ruinis ſuperſtruxerunt, id quod Sponii induſtriæ, repertoque in vicino Græcorum templo præclaro marmori debemus. *Vide Voyage T. III. parte altera p.* 5.

DAMASTINORUM.

Caput Apollinis laureatum.)(ΔΑΜΑΣΤΙ. Tripus, ad cujus alterum latus literæ corruptæ, quæ magiſtratum deſignant. *Tab. I. N.* 4.

Numus non quidem ex claſſe τῶν ἀνεκδότων, minus tamen notorum eſt; etenim hujus urbis nullus hactenus eruditorum oculis fuit propoſitus, niſi qui in muſeo Mauroceno ita ſolum indicatur *cap. VI. p.* 14. ΔΑΜΑΣΤΙΝΩΝ. Tripus. Præſens e muſeo Cl. Khellii magiſtri mei depromtus tetradrachmus eſt æneus; argentea enim, qua tegebatur, bractea Hebræi male ſano ungue exutus, etſi nitoris aliquid, nihil tamen pretii ex inſcriptionis conſervatione deducendi amiſit.

Ut monetam hanc ederem, autor fuit poſſeſſor ipſe Khellius, communem ſcilicet ſibi cum Cel. νῦν ἐν ἁγίοις Frœlichio errorem in cimelio Auſtriaco admiſſum emendare cupiens ardentiſſime: nihil ſane erat æquius, quam ut hocce officium Frœlichio Khellii magiſtro a nepote antiquario præſtaretur. Rem, ut evenit, habeto: viri hi doctiſſimi, dum muſeum Auſtriacum gazæ Cæſareæ jubente Auguſta ederent *pag. XXXII.* ſimilem numum *Tab. VIII.* repræſentatum, atque typario marginem laminæ excedente inſcriptum ΔΑΜΑ---ΝΩΝ. Damaſco Syriæ adtribuerant. Ecquis fere aliter in tanta Damaſtii urbis ignoratione ſenſiſſet? Lapſum laudatus Khellius in itinere quodam literario in Auſtriam ſuperiorem patriam ſuam ſuſcepto animadvertit; in hoc enim felicitas illi obtigit duos geminos numos, & contrectandi,

ſtandi, & deſcribendi, in quorum utroque diverſa tamen literarum diſpoſitione ΔΑΜΑΣΤΙΝΩ. diſtinctiſſime legitur, atque in horum altero magiſtratus etiam nomen ΚΗΦ. Hæc nempe omnia ſunt, quæ ex antiquariis de Damaſtio novimus.

Nec fere plura tradiderunt geographi: etenim vix ex iis emerſit tenebris, quibus tot aliæ non ignobiles veterum urbes maximo doctorum cum dolore, & detrimento in hanc diem ſepultæ jacent. Diſcuſſis Geographis, quos novimus, omnibus unicus repertus eſt Strabo, qui aliquod ejusdem indicium faceret *l. VII. p.* 326. *Edit. Paris.* poſtquam dixiſſet Epirotis plures Illyricas gentes eſſe permixtas addit: *Τῆς γὰρ Επιδάμνου, καὶ τῆς Απολλωνίας μεχρὶ τῶν κεραυνίων περιοικοῦσι Βυλλίονέστε, καὶ Ταυλάντιοι, καὶ Παρθίνοι, καὶ Φρύγοι. Πλησίον δέ που, καὶ τὰ ἀργύρια τὰ ἐν Δαμαστίῳ. Nam circa Dyrrhachium & Apolloniam usque ad Ceraunios montes habitant Bulliones, Taulantii, Parthini, & Phrygi: alicubi vero in vicinia ſunt in Damaſtio argenti metalla.*

At quam dubia hinc adfulget lucula! Quinam Damaſtii ſitus? Eum ſane & ab ipſo Strabone ignoratum fuiſſe adparet ex eo, quod ſcribat: *alicubi in vicinia.* Monsne eſt, an χωρίον? Tacet autor, nec alius eſt, qui ſuppetias veniat. Attamen urbem aliquam Damaſtium dictam eſſe inde luculenter conficitur, quod præter veterum morem ſit in ipſis fodinis monetas percutere, quæ montis, aut regionis nomen præferant. Nugatur quidem chorus apud Ariſtophanem:

 Γλαῦ-

Γλαῦκες ὑμᾶς οὔποτ᾽ ἐπιλείψουσι Λαυριωτικαὶ
Noctuæ vos nunquam deſtituent Lauriotica.

Montem fuiſſe Λαυρίον diſcimus ex Thucydide *L. II. p.* 115. ubi de incurſione Peloponneſiorum: Μεχρὶ Λαυρίου ὄρους, οὗ τὰ ἀργύρεια μέταλλα ἐςὶ Ἀθηναίοις: *Proceſſerunt usque ad montem Laurium, ubi ſunt argenti fodinæ, quas Athenienſes poſſident.* Cur autem nemo monetam λαυρίων inſcriptam vidit unquam? Incredibile enim eſt, ſi tam copioſæ, ut Ariſtophanes teſtatur, ſique hac epigraphe ſignatæ fuiſſent, omnes interiiſſe. Nemo non videt de ipſis noctuis Atticis, de ipſis Athenienſium tetradrachmis agi.

Neque illud Strabonis: Τὰ ἐν Δαμαςίῳ: oberit; urbs enim eſſe poterat, quæ idem cum vicinis fodinis nomen gereret, aut ſub cujus ipſis fundamentis metalla eruerentur, cujusmodi noſtra ætate Kremnizium, Schemnizium &c., atque item argentum dici Damaſtium, ut jam aurum Kremnizenſe. Profecto non urbem ſolum, ſed & ſplendidam eam fuiſſe demonſtrant numi tetradrachmi, demonſtrat eorum elegans artificium, demonſtrat magiſtratus nomen in horum uno diſtincte, in altero, qui præ manibus eſt, dubiis literis expreſſum.

At miſerabilem, deplorandamque urbis clariſſimæ, vel noſtram potius ſortem, qui plura de eadem pernoſcere ſcriptorum defectu prohibemur! Ecquidem quidquid diligens opera horis non paucis hiſtoricorum, qui vel eminus de Epiro agerent, libros pervolutando ſe fatigaſſet, fruſtra erant omnia, nec in Byzantinis, aliisve medii ævi, Vene-

tis

tis etiam ſcriptoribus vel corrupti nominis veſtigia fuere deprehenſa.

EUMENENSIUM.

Caput viri galeatum.)(ΕΥΜΕΝΕΩ --- ΜΕΝΕ --- Victoria gradiens d. lauream, ſ. ramum gerit. *Tab.* 1. *N.* 5.

Ad Eumeniam Phrygiæ referendum arbitror, cui regioni alterum, quem adhuc novimus, adtribuit Harduinus, in quo Glaucum amnem repræſentari cenſet ob adjectum figuræ fluvii decumbentis vocabulum ΓΛΑΥΚΟΣ. Hæſito, an non ſuo ingenio, ut ſolebat, vir ſane doctiſſimus nimium hic indulſerit; cur enim non Cluſium potius dicemus, de quo Plinius *l. V. c. XXIX. Fuit in eo tractu & Mæandropolis. Eſt Eumenia Cluſio flumini appoſita, Glaucus amnis, Lyſias oppidum, & Orthoſia.* Num forſan Lyſiada, Orthoſiam cum Glauco Eumeniæ pro ſuburbiis admovebimus? Ita enim de duabus urbibus, ut de amne loquitur Plinius, hæc ſcilicet loca, ut Glaucum, Eumeniam conſequi. An non probabile magis ejus fluminis typum in numo ſignatum, cui urbs per Plinium erat adpoſita. Amnem diſſitum, ut Lyſiada, & Orthoſiam, ſuo in ære repræſentaverint Eumenenſes, fluvio, cujus aquarum beneficio gaudebant, neglecto? Aſt quid de nomine ΓΛΑΥΚΟΣ? id nempe quod de noſtro ΜΕΝΕ, forſan ΜΕΝΕΚΡΑΤΗΣ, quod cum certum magiſtratus nomen ſit, arbitror infortunio Harduini, & Glaucum amnem in vicinia Eumeniæ a Plinio collocatum, & fluvii jacentis ſigno magiſtratus nomen ΓΛΑΥΚΟΣ adpoſitum. Nihil profecto novi eſt, fluvios absque nomine

in

in numis exhiberi. Certe, ſi noſtrum MENE ad urnam eſſet exaratum, nec Harduinus ipſe de fluvio alio, quam de Cluſio cogitare potuiſſet.

Simili forſan moneta deceptus etiam fuerit Baudelotus, dum *T. II. p.* 276. inter numos a ſe viſos obiter nimis ponit aliquem inſcriptum: ΕΥΜΕΝΕΣ. ΕΥΜΕΝΟΥ. Pergamenorum enim regum nomina in numis non occurrere, præclare docetur a Cl. anonymo in libro hoc ipſo anno Pariſiis edito: *Recueil de Medailles des Roys p.* 179. Philetæros ſe ſcribebant omnes, ut Ægyptii Ptolemæos, Arſaces Parthi, ſolis vultuum ductibus aliquando ab antiquariis diſcernendi.

Ut ut hoc ſit, caput tamen juvenile galeatum Eumeni II. Eumeniæ conditori ob lineamenta, quæ non ad arbitrium cælatoris efficta, ſed ex vivi hominis facie deſumta videntur, adſcribo: meminit hujus Eutropius *l. IV. p.* 86. Κοινωνὸς δὲ αὐτῷ (Σκιπιῶνι) ταύτης ἐγένετο τῆς μάχης Ευμενὴς Ἀττάλου τοῦ τῆς Ἀσίας βασιλέως ἀδελφὸς (filium rectius dixiſſet) ὃς ἐπώνυμον ἑαυτῷ πόλιν ἐδείματο τὸ Ευμένιον. *Auxilio fuit illi* (Scipioni) *in pugna Eumenes Attali frater* (filius), *qui Eumeniam in Phrygia condidit.* De rege hoc, qui plura volet, *Cl. Sevin* adeat *Memoires de l'Academie des belles Lettres T. XII. p.* 241., videbitque, quam apte illi ob complura, & ſingularia bellica facinora, & Victoria averſæ partis, & galea anticæ congruat. Conjecturam de capite Eumenis belliſſime confirmat numus alter inſcriptus ΑΤΤΑΛΕΩΝ. atque Victoria conſimili, capite vero diademato inſignis a Cl. Zuzzeri S. J. Romæ primum vulgatus. Quin caput hocce regis ſit,

nemo

nemo commode dubitaverit, Frœlichius certe Attalum III. exhibere non hæſitavit. Quare arbitror ambos reges, qui in argenteis tetradrachmis ex facie difficilius hactenus diſcernuntur, in ære ex adſcriptis Victoriæ typo conditis a ſe urbibus agnoſci voluiſſe: confirmabitur hoc amplius, ſi in ſummam, quæ hac in regum familia vigebat, concordiam oculus conjiciatur.

ELEORVM.

Caput bovis.)(Sola litera H majuſcula labore prominente in media area. *Tab. I. N. 6.*

Numum Elidi, ſeu Eleæ Peloponneſi Achajam inter & Meſſeniam provinciæ adjudico, cujus nullum adhuc ex muſeis produxerunt antiquarii. Anticæ quidem typus, ut illum Eubœæ tribuerem, ſuadebat: verum cum fruſtra hac in inſula quæſiviſſem urbem, cujus nomen ab ea vocali inciperet, id occurrit percommode, Peloponneſios præ ceteris ſuarum urbium nomina una, aut paucis ſolum literis indicare eſſe ſolitos, uti Achæos, Argivos, Epidaurios, de quibus Frœlichius in quodam opuſculo Florentiæ recuſo: *Animadverſiones in quosdam numos veteres Urbium pag.* 37. Peninſulam itaque peragrare ſuſcepi, ubi Elis velut ultro ſe obtruſit, cujus nomini poſtica, fertilitati vero antica optime convenit. Ejus fecunditatem magnopere ſane laudavit Pauſanias in *Eliac*: ſcribens de Oxylo *pag.* 292, Τὴν Ηλεὶαν δὲ ἰδόντες ἀγαθὴν ἐσαν, καὶ ἐξειργασμένην διὰ πάσης: *Cum, quam eſſet fertilis, & omni ex parte cultus ager Eleus, Ariſtomachi filii cognoviſſent.* Eandem Augiæ ſtabulum ſua quamvis fabu-

la obvolutum non parum comprobat, neque negligendum Βϐπράσιον, quam regionem ex Homero multis perſequitur Strabo *pag.* 340. atque Elidi contribuit. Nobis quidem contrarius videri poſſet Euſtathius, qui *ad lib. II. Iliad. v.* 615.

Οἳ δ᾽ ἄρα Βϐπράσιόντε, καὶ Ἤλιδα δῖαν ἔναιον:

Quique Bupraſium nobilem, & Elidem habitabant.

Hocce nomen a rege deducere conatur: κληθὲν ϐτω ἀπὸ Βϐπρασίϐ τινὸς ἄρξαντος ἐκεῖ. *Adpellatum ita a quodam Bupraſio, qui ibi regnaverat.* Sed incertum illud τινος, *alicujus* paullulum perpende, & nomen dubium a ſcholiaſte pro arbitrio derivatum, a pecoris abundantia petendum potius intelliges.

Ætate vero percuſſi numi diligenter excuſſa aliud quid pro adverſæ ſolito alias Eubœæ typo etiam ab Eleis ſignato nanciſci mihi viſus ſum. Etenim cum litera H recentius inventa, ne ad antiquiſſima tempora referrem, obſtaret, remotam autem vetuſtatem loqueretur ſimplex admodum artificium, ad illud ſæculum monetam rejiciendam probabili conjectura ſtatui, quo Eleon Elide urbe nondum ſtructa (cujus fundatio μετὰ τὰ Περσικά *poſt bellum Perſicum* conſtituenda) per pagos habitaſſe ſcribunt Diodorus, & Strabo. Jam vero e plurimorum antiquiorum numiſmatum conſideratione id fere accepimus, primas illas gentes pecuniæ pecorum, boumque, quibus eam in commerciis ſubſtituebant, imagines impreſſiſſe. De Romanis notum ſatis ex aſſibus, eorumque partibus, de Athenienſibus vero teſta-

ſtatur ſcholiaſtes Ariſtophanis *in avibus* : Πρωτέρων διδράχμων ὄντων, ἐπίσημόντε βοῦν ἐχόντων: *Cum antiquiores Athenienſium numi didrachmi eſſent*, *atque bove inſignes.* Alii idem de Deliis adfirmant teſte Polluce *lib. IX. c.* 6.

At erit forſan, qui hactenus diſputata everſurus non H, ſed potius Z legere velit ideo, quod poſtica ita converſa, ut cum anticæ ſigno ad perpendiculum conſtituto conveniat, non erecta, ſed jacens litera ⌶ adparet, quemadmodum in imagine ſumma fide expreſſum volui. Attamen formam literæ Z ſtantis antiquiorem eſſe altera jacente jam docuit Spanhemius, atque confirmat tabella alphabethi Græci adpenſa ad *cap. XV. P. II. Sect.* 2. *T. I. Nouveau Traité de Diplomatique par deux Religieux Benedictins.* Igitur literam Z ejus formæ, quæ ſubinde cum Ξ etiam eſt confuſa, nondum adhibitam, cenſeo a remota illa vetuſtate: quam de noſtro numo clare patefacit operis ſimplicitas. An enim populum tam ſui nominis negligentem finges, ut, ſi tum jacentis ⌶ pro Z jam obtinuiſſet uſus, illam potius amphibologiæ, & errori obnoxiam præ altera uſurparet? Quid quod eam primorum ſcalptorum negligentiam fuiſſe novimus, ut parum curarent, an poſtica ſitu erecto reſponderet anticæ: hujus certe liquidam deduco probationem ex numo infra proferendo, in cujus antica item caput bovis, in poſtica ſola litera Kappa comparet, ſed, ad capitis ſitum ſi reſpicias, ita jacens ⊼. Age vero, omnem conjecturarum officinam excute, oculorum mentisque aciem intende, neque tamen aliam, niſi ſomniare velis, literam, aut monogramma extundes.

THURIATARUM.

Caput Jovis laureatum.)(ΘΟΥΡ. Mulier galeata ſtans d. haſtam, ſ. clypeum ad terram tenet. In area hinc nomen magiſtratus ΝΙΚΩΝΥΜΟΣ. inde corona, ut videtur, e ſpicis contexta. *Tab. I. N.* 7.

Duabus urbibus epigraphen noſtri numi prima fronte convenire poſſe antiquario videbitur, quarum una Thurium Lucaniæ, cujus bene multos habemus numos, atque huic utpote magis notæ iſthæc numismata, quorum multa ab amico Venetiis viſa, hactenus etiam adtributa fuerunt: Meſſeniæ eſt altera, cujus nonniſi tria, quod ſciam, cum imperatoris capite vidimus adhuc. Non tamen pauca ſunt, neque ea imbecillia indicia, quæ mihi facile perſvadent, ut numum, de quo ago, Italiæ ademtum Peloponneſo reſtituam. Etenim maritimæ Thurii numismata nihil ſane cum noſtro habent commune, illa quippe nomen urbis aut totum ΘΟΥΡΙΩΝ, atque in orbem ad numi marginem exaratum exhibent, aut unica ſolum litera Θ indicant: in antica Palladis protomen, in poſtica taurum cornupetam ſemper ſiſtunt; nec unquam, quod novi, magiſtratus nomen offerunt, cui tamen amplum in orbe, & area ſpatium ſuppeteret: ſingulari denique nitent operis elegantia, quæ Siciliæ, vicinisque ſolum urbibus propria eſſe ſolet.

Quam diverſa, quæ in noſtro numo conſpiciuntur! At ſimul quam omnia in Meſſeniacum Thurium conſpirant! Magiſtratus nomina in Meſſeniacis frequentia occurrunt; quemadmodum alii hujus adpendiculæ numi infra recenſendi

di patefacient; quidquod in eodem latere, in quo noſtrum, & eodem literarum ſitu exarata ſint: nomen urbis per compendium quidem, ſed pluribus tamen notis deſignari ſolet in numis Peloponneſi, ut ΛΑ. ΑΡΓ. Laconicum artificium & Meſſeniacum ejusmodi eſt, quale in noſtra moneta videmus. Meſſeniæ tandem noſtrum numisma typus ipſe vindicare videtur, qui ſcilicet ei belliſſime convenit. Adverſa enim Jovis Ithomatæ caput repræſentat, cujus incunabula jactant Meſſenii teſte Pauſania *in Meſſen p.* 278. Φασὶ γάρ, καὶ ἆτοι (Μεσσήνιοι) τραφῆναι παρὰ σφίσι τὸν θεόν.

Averſæ ſignum mulieris ſtolatæ ipſa Meſſene eſſe videtur Triopæ filia, de qua Pauſanias *ibid. pag.* 276. de urbe Meſſene tractans: Εστι δὲ καὶ Μεσσήνης τῆς Τριόπα ναὸς, καὶ ἄγαλμα χρυσῦ, καὶ λίθυ Παρίυ. *Viſitur etiam templum Meſſenes Triopæ filiæ, & ſtatua ex auro, & Pario lapide fabrefacta.* Hanc quidem non deſcribit noſter an geographus, an hiſtoricus; attamen ejusmodi eam fuiſſe, haſta, clypeoque armatam (ut numi, & hiſtoria perſæpe mutuo ſeſe comprobant) perſuadent ea, quæ de hac heroe initio Meſſeniacorum præmiſerat; eam nempe eximia patris dignitate, atque opibus elatam Polycaoni marito perſuaſiſſe, ut arreptis armis, advocatisque ab Argo, & Lacedæmone auxiliis regionem occuparet, quam ſubinde ab uxore Meſſenicam nominavit, urbibusque, atque regia præcipue Andania ornavit. Unde Glauci ſacrificium originem traxit apud Pauſaniam *pag.* 221. Γέρα δ' ἀπένειμε Μεσσήνῃ τῇ Τριόπα τὰ νομιζόμενα ἥρωσιν: *Meſſenæ Triopæ filiæ dedicavit munera ſolita heroibus decerni.* Corona quoque ſpicea cum illuſtri hac matrona conſentit, ad quam nempe Caucon Cereris ſacra Eleuſine deportavit.

Si cui alia, quam ex ſpicis contexta videatur, rurſum ſuffragabitur antiquum urbis nomen eodem teſte *pag.* 274. Ανθαίαν δὲ αὐτὴν ἐκ τοῖς ἔπεσι ὠνομάσθαι τοῖς Ομήρε λέγεσι: *Homeri verſibus eam Anthæam* (floridam) *nominatam putant.*

Neque dixeris, hoc ſignum Minervam potius referre, propterea, quod Vaillantius in Geta numum ΘΟΥΡΙΑΤΩΝ (hoc enim hujus Thuriæ gentile diverſum a ΘΟΥΡΙΩΝ Lucaniæ) proferat cum Pallade Victoriolam gerente: etiam alium ejusdem urbis habet ſub Severo cum effigie mulieris d. pateram, ſ. haſtam tenente noſtræ admodum ſimili, quam tamen Palladem minime pronunciaveris, ut omittam, abeſſe in noſtro numo ægidem in pectore, & noctuam: nec unica ex hoc Vaillantii numiſmate utilitas, lectio enim noſtræ epigraphes ΘΟΥΡιάτων etiam inde comprobatur. Si tamen pertinacius quis inſtiterit, ut Minervam extundat, etiamſi buboni, & Meduſæ capiti ſpicea corona ſubſtituatur, non pugnabo, neque tamen numum Meſſeniæ eripiam propterea, ſed ejusdem tantum percuſſi ætatem magis ad Auguſti imperium admovebo, a quo Thuria Laconiæ eſt contributa, ut Pauſanias teſtatur *pag.* 274. Λακεδαιμονίοις δὲ ἔχειν τοῖς ἐν Σπάρτῃ τὴν Θερίαν ἔδωκεν Αυγεςος: *Spartanorum civitati Thuriam ſubjecit Auguſtus.* Et confirmat numus Severi apud Arrigonium *Tab. VII. N.* 105. a Thuriatis percuſſus, in cujus area comparent literæ ΛΑ. Tum itaque Thuria communem Spartanorum typum adſumſerit, ut ab urbibus Ætoliæ aut Achaiæ ſubditis, fœderatisque factum videmus. Jovis enim caput in Lacedæmoniorum numis frequens eſt: Minervæ vero Poliuchæ, & Chalciœcæ templum eadem in urbe ſumma in veneratione habebatur.

Situm

Situm urbis cum veterem, tum qualis Auguſti ævo erat, *loco cit.* deſcripſit Pauſanias, qui, poſtquam eam mediterraneam, & ſtadiis LXXX. a Pharis diſſitam narraſſet, ſubjungit: Θουριάται δὲ ἐκ τῆς πόλεως ἐν μετεώρῳ τὸ ἀρχαῖον οικουμένης ἐς τὸ πεδίον κατελθόντες οἰκοῦσι. οὐ μὴν παντάπασίγε οὐδὲ τὴν ἄνω πόλιν ἐκλελοίπασιν. *Thuriatæ ex oppido, quod iam olim in altiore fuit tumulo, in planiciem quidem deſcendere: neque tamen ſuperiorem urbem omnino deſeruere.*

THYATIRENORVM.

Caput Herculis nudum.)(ΘΥΑΤΕΙΡΗΝ. Leo gradiens. *Tab. I. N.* 8.

Duos Thyatiræ, Sardes inter, & Pergamum ſitæ, numos produxit Haymius *Tom. II.* plures Vaillantius in monetis Auguſtorum: in hac tamen numorum frequentia unicus Soæmiadis comparet cum Herculis capite, quod mirere; heros enim iſte urbi Lydiæ, cum ob præclara quædam ibidem edita facinora, tum ob ejusdem cum Omphale regina amores convenit quam optime. Mea me in ſententia confirmant numi duo, quorum alterum Begerus *Tom. I. Theſ. Brand. p.* 500. protulit cum capite Herculis nudo, ut in noſtro, & inſcriptione ΜΑΙΩΝΩΝ, quo nempe nomine Lydi primum utebantur, alterum conſimilem exhibuit Frœlichius: *Animad. in quosdam numos vet. urbium edit Florent. pag.* 76. Sardibus percuſſum. At ubi clava? Ubi leonis exuviæ? Ab Omphale ablatas numi utriusque averſa oſtendit eo, quo Ovidius cecinit, modo *in epiſt. Deianiræ v.* 111.

Hir-

Hirſuti coſtas exuta leonis
Aſpera texerunt vellera molle latus,
Induxitque manum clava domitrice ferarum.

Verum an tantum Herculis probrum publica in moneta conſignatum fuerit? Ita ſane: hinc enim non minor Lydis gloriæ ſplendor adfluebat, quam Romanis ex domitarum gentium triumphis æri impreſſis.

Novam præterea cauſam reperio, ob quam in Thyatirenorum numis Herculis caput cælatum fuerit: eam enim urbem Pelopiam olim adpellatam eſſe adfirmat Plinius *Hiſt. nat. l. V. c.* 31. *p.* 278. nominis autem hujus origo ab Heraclidis ſane deducenda mihi videtur: etenim hi, Herculis cultu latiſſime diffuſo, inde ab Agrone Alcæi Herculis ex Omphale filii pronepote ad Candaulem toti Lydiæ dominati ſunt Herodoto teſte *lib. I. p.* 3. Αγρων μὲν ὁ Νίνȣ, τȣ̃ Αλκάιȣ πρῶτος Ηρακλειδέων βασιλεὺς ἐγένετο Σαρδίων, Κανδάυλης δὲ ὁ Μυρσȣ ὕςατος. Pronum itaque erat, ut ab iis ob jus, quod ſibi in Peloponneſum a Pelope dictam vendicarant, urbs Lydiæ aliqua Pelopia nominaretur.

Urbem hanc initio divulgati evangelii jam chriſtianam a religione laudavit, atque inter ſeptem Aſiæ Eccleſias ſalutavit S. Joannes *Apoc. c. II.* Nobiliſſimam vero fuiſſe, cum inita illam inter, & Smyrnæos Ομοννια, & honoris tituli, tum imperatorum in ea ornanda ſolicitudo declarat: viis publicis munitis eam a Veſpaſiano condecoratam, ampliſque beneficiis a Caracalla auctam nos docent inſcriptiones. Verum gloria ΚΡΑΤΙΣΤΗΣ. ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. ΒΟΤΑ-

ΒΟΥΛΗΣ. *Maxime potentis Thyatirenorum Senatus*, ut in marmore legitur, ita diffluxit, ut patrum noſtrorum ætate alii, ubi extiterit, dubitarent, alii Tiriam exiguum hodie pagum ab Epheſo diei itinere diſtantem pro ſede clariſſimæ urbis haberent; dum tandem haſce tenebras diſpulit induſtria D. Ricaud Angli, qui cum Tiriæ nihil, quod antiquitatem ſpiraret, deprehendiſſet, Thyatiræ ruinis jam oppidum *Ak—hiſſam* inſidere ex inſcriptionibus repertis detexit primus, quemadmodum Sponius, qui incolarum humanitatem præ ceteris Turcis omnibus commendat, *Voyage Tom. I. p.* 293., *& ſeq.* adnotavit.

THYREATARUM.

Caput lupi.)(Columna, ad cujus dextram in area ſuperius pilei quædam ſpecies, inferius ſimile lupi caput: reſpondet pileo e regione Θ quadratum, capiti lupi monogramma ☓. *Tab. I. N.* 9.

Quod in notis numo ab Cl. Haymio *pag.* 231. producto, atque Thebis adtributo, ſubjectis promiſeram, exequor, ſimulque, niſi me omnia fallant, geographiam numariam novo quodam oppido me aucturum ſpero. Fateor, me primum obiter inſpecto numo ob inſtrumenta duo ſimilia, atque vetuſtam literam omnino geminam præjudicio ab Haymio offuſo ſententiam eruditi poſſeſſoris, qui Bœotiæ illum etiam adſcribebat, probaſſe, verum mox adtentionem meam omnem in ſe convertit, cum utraque in parte ſignatum lupi caput, tum monogramma, quod adjunctum præſertim con-

conſueto urbis typo, non alios quam Argivos deſignare poſſe certus eram.

Opinione de Thebis Bœoticis adhuc obtinente in id indagandum exiſtimabam potiſſimum, ecquod negotium Argivis aliquando cum Thebanis interceſſerit ſeu icti fœderis, ſeu regionum aliqua contributione facta. Aſt percurſis hiſtoricis nihil uſpiam reperi præter bellum ſeptem ducum, quos inter Adraſtus Argivorum rex eminebat potiſſimum, ob fraternas Eteoclis & Polynicis diſcordias ad Thebas geſtum: neque enim cum pugna ad Nemeam ſub A. X. 393., ubi Corinthiis juncti Argivi communia cum Bœotis, & Athenienſibus arma intulerant Spartanis, forma noſtri numi congruere videbatur. Suadebat id ipſum utriusque gentis ſitus, quem Pauſanias adcurate notat, & admiratur, ubi in *Bœoticis pag.* 555. hanc expeditionem adtingit: Ο δὲ Αργείων ϛρατὸς ἐς Βοιωτίαν τὲ μέσην ἀφίκετο ἐκ μέσης Πελοποννήσȣ: *Argivorum exercitus in mediam Bœotiam ex media Peloponneſo advenit.* Neque ſane facile niſi inter vicinos populos aut belli, aut ineundæ ſocietatis eſt occaſio.

Vellicabant me interim identidem ambo lupi, atque velut regionem ſignati numiſmatis demonſtraturi me lubentem etiam in Argolidem abſtraxerunt. Commodiorem hic multo locum, cui vetuſtum illud Θ adſcriberem, quam in Bœotia deprehendi, Thyreatidem ſcilicet regionem, atque urbem Thyream, de qua perpetua Lacedæmonios inter, & Argivos concertatio, ut mox ex hiſtoricis commonſtrabo. Id ſolum præmitto: etſi nihil ea de regione unquam inter vicinos hos populos extitiſſet controverſiæ, ipſam originem conſuetudi-

nis

nis ſignandi in moneta lupi caput apud Argivos receptæ ſufficere, ut Thyreæ urbi per Θ deſignatæ numulus noſter ſit adjudicandus potius, quam Thebis Bœoticis.

Jam aliis ante me viſum eſt, lupum in Argivorum ære repræſentari ob lupum in pugna tauro ſuperiorem, cujus victoriæ occaſione Danaus pulſo Gelanore regnum occupaverat; etſi rem geſtam diverſo aliquantum modo in *Corinthiacis* narret Pauſanias. Plutarchus tamen in Pyrrho *pag.* 404. *edit. Pariſ.* eam lupi victoriam in Thyreatide Danao objectam tradit: Δαναῷ γὰρ ὅτε πρῶτον ἐπέβη τῆς χώρας κατὰ τὰ πυράμια τῆς Θυρεάτιδος εἰς Ἄργος πορευομένῳ, λύκον φανῆναι ταυρῷ μαχόμενον: *Danao, cum primum in eam regionem ſubiret, Argos proficiſcenti juxta Pyramia Thyreatidis viſum fuiſſe lupum cum tauro pugnantem.* Ad expeditiones bellicas, & civiles contentiones contiguæ regionis cauſa ſuſceptas venio.

Primam nobis ſuppeditat Herodotus *lib I. pag.* 33. Τοῖσι δὲ καὶ αὐτοῖσι τοῖσι Σπαρτιήτῃσι κατ' αὐτὸν τοῦτον τὸν χρόνον συνεπεπτώκει ἔρις ἐοῦσα πρὸς Ἀργείους περὶ χώρου καλεομένου Θυρέης. *Ceterum per id ipſum tempus Spartiatas cum Argivis colliſerat contentio de regione dicta Thyrea.* Antequam belli eventum ad Haymii numum explicandum declarem, in tempus hujus pugnæ inquiro: narrat Pauſanias in *Lacon. pag.* 171. Theopompum regem huic prælio non interfuiſſe ſenio, & animi ægritudine ob Archidami filii mortem impeditum; idem vero in *Meſſen. pag.* 227. Myronem refutans ait: Θεόπομπον δὲ οὔτε μάχης γινομένης, οὔτε ἄλλως προαποθανόντα ἴσμεν, πρὶν ἢ διαπολεμηθῆναι τὸν πόλεμον. *Theopompum, neque in prælio, neque alia ratione mortuum ſcimus niſi bello demum confecto.* Conſtat

bellum Meſſeniacum primum, de quo hic ſermo, terminatum ſub annum A. X. 723., quare Thyreaticum hoc ob ſenium Theopompi ad annum 721. collocari poterit, & forſan debebit.

Neque deinde præſertim, dum Æginetæ ab Athenienſibus ejecti, in eam terram immiſſi ſunt, uſque ad annum A. X. 420. quietam fuiſſe Laconum poſſeſſionem, etſi hiſtorici minores incurſiones taceant, conficio ex Herodoto, & Thucydide: ille *loco cit.* poſtquam narraſſet, victos tandem a Lacedæmoniis Argivos, de horum lege etiam confirmata devotione ſcribit: Μὴ πρότερον θρέψειν κόμην Ἀργείων μηδένα, μηδὲ τὰς γυναῖκας σφι χρυσοφορήσειν, πρὶν Θυρέας ἀνασώσωνται. *Ne ante quisquam Argivorum comam* (capillati enim erant hactenus) *neve mulieres aurum ferrent, quam Thyreas recuperaſſent.* Hic vero *lib. V. c.* 41. *pag.* 315. *Edit. Oxon.* antequam referret fœdus Argivos inter, & Spartanos ictum metu, ne poſt everſam a Bœotis Panactum ſociis omnibus deſtituerentur, præmittit: Τὸ μὲν πρῶτον οἱ Ἀργεῖοι ἠξίουν δίκης ἐπιτροπὴν σφίσι γενέσθαι ἢ ἐς πόλιν τινα, ἢ ἐς ἰδιώτην περὶ τῆς Κυνουρίας γῆς, ἧς ἀεὶ περὶ διαφέρονται μεθορίας οὔσης. ἔχει δὲ ἐν αὐτῇ Θυρέαν κ. τ. λ. *Primum quidem Argivi poſtulabant, ut vel civitatis, vel privati alicujus arbitrio permitteretur controverſia de regione Cynuria, de qua in confiniis poſita utrique* SEMPER *inter ſe contendebant* &c. Exacerbatos animos ſatis profecto oſtendunt conceptæ fœderis in quinquaginta annos conditiones, quibus tandem Spartani ſubſcripſere, ut nempe, dum alterutri parti provocatio ad prælium placuiſſet, contagionis, aut belli externi tempore excepto, liceret de hoc agro armis decernere.

De-

Deſtituunt nos mediis temporibus hiſtorici; id ſcimus, M. Aurelio imperante Thyreatidem ad Argivos rediviſſe, ita enim Pauſanias in *Corinth. p.* 757. Τὰ δὲ ἐπ' ἐμȣ̃ τὴν Θυρεάτην ἐνέμοντο Αργεῖοι· Φασὶ δὲ ἀνασώσασθαι δίκῃ νικήσαντες. *Mea vero ætate Argivi Thyreatem colebant judicii ſententia, ut aiunt, receptam.* Hanc qui numi noſtri exiſtimaret, næ is vetuſtæ literæ Θ injuriam non parvam intulerit, cujus cum adjunctis aliis quadrata forma probabilem conjecturam efficit, & noſtrum numum, & alium Haymii paullo poſt primum bellum cuſos eſſe. Hoc ex Herodoto, ut cœpi, perſequor. Narrat utramque gentem in colloquium conveniſſe, ſtatutumque, ut tam ex Argivis, quam ex Laconibus trecenti dimiſſo interim exercitu, qui parti victæ auxilio eſſe poſſet, ut trecenti, inquam, utrinque decertarent, eorumque fore regionem, qui ex pugna ſuperiores abiverint. Prælio vero commiſſo tam æquo marte pugnatum fuiſſe, ut tres ſoli ex utraque gente fuerint ſuperſtites: ex Argivis duo Alcenor, & Chromius, qui tanquam victores Argos ingruente nocte curſu contenderunt, ex Laconibus unus Othryades, qui ſpoliatis Argivorum cadaveribus ad ſua ſe caſtra recepit. Altera dein die utramque iterum conveniſſe gentem, quavis ſibi victoriam vindicante, Argivos quidem ob ſuorum duos ſuperſtites, Lacones vero cum ob fugam, ut ajebant, duorum, tum ob ſpoliata ab Othryade Argivorum cadavera. Ad contentionem, atque hinc ad prælium alterum ventum, ex quo Lacones victoriam reportarunt.

Addit aliquid Plutarchus in *Parall. min.* Ηρεμίας δὲ ὑπαρχȣ́σης ὁ Οθρυάδης, ἔτι ζήσας, καὶ ἡμικλάστοις δορασὶ ἐπερειδό-

μενος, τὰς τῶν νεκρῶν ἀρπάζων ἀσπίδας περιείλετο. καὶ τρόπαιον στήσας, ἐκ τοῦ ἰδίου αἵματος ἐπέγραψεν. Διὶ τροπαιούχῳ. Othryades vero adhuc vivus, nullo jam ultra infeſto, haſtilibus ſemifractis innixus, mortuorum ſcuta abſtulit, ac tropæo erecto ſuo ſanguine inſcripſit: Jovi Tropæucho. Paullo aliter Theſeus *in fragmento* apud Stobæum inſcriptionem factam refert, ſcilicet: Λακεδαιμόνιοι κατ' Ἀργείων: *Lacedæmonii de Argivis.* Ut ut ſit, hoc facinus, qua demum cunque bona fide ſuſceptum, etiam deinceps celeberrimum ſemper fuiſſe liquet ex Statio *lib. IV. Theb. v.* 46. ita canente:

Lacedæmonium Thyree lectura cruorem.

An rebus ita conſtitutis, ubi gens quævis ſe victricem prima ex pugna, altera enim ab uno Herodoto narrata, non ex communibus pactis, aut Amphyctionum decreto comiſſa, ut Chryſermes apud Plutarchum refert, ſed caſu incaleſcente contentione edita fuerat, an, inquam, ubi quævis gens victoriam ſibi adrogabat, negari poterit Argivos, quorum monogramma, & typum ſolitum in numo videmus, victoriam ſuam, atque antiquum in Thyreatidem jus cuſa etiam moneta æternitati commendare, & diuturniore aliquo monumento cruentum illud Othryadis tropæum voluiſſe evertere? Nominis ſui ad poſteros transmittendi admodum ſtudioſos fuiſſe Argivos alius muſei Granelliani in hujate collegio academico adſervati numulus a Frœlichio in *Animadverſ. in quosdam numos veteres urbium pag.* 37. *edit. Florent:* productus ſimilis fere fabricæ comprobat, in cujus antica caput lupi, in poſtica A ſubjecto monogrammati ex E, & antiquo Π contracto imminet. Quid quod Pauſanias refert

ſta-

ſtatuam in ipſo Argivorum theatro collocatam, quæ conjecturam meam mirifice confirmat; ita ille in *Corinth. lib. II. pag.* 121. Εν δὲ αὐ]ῷ (θεάτρῳ) καὶ ἀνὴρ φονεύων ἐςὶ ἄνδρα Οθρυαδαν (ita enim locum reſtituendum arbitrati ſunt viri docti τὸν Σπαρτιάτην Περίλαος Αργεῖος ὁ Αλκήνορος. *In eo præter alia viſu digna, vir virum cædens, Othryadam Spartanum Perilaus Argivus Alcenoris filius.*

Accedit ex eodem hiſtorico ſignum aliud Delphos miſſum, ſi quis forſan de ſuperiore diſputans Οθυάδαν communi editionum poſſeſſione deturbatum nolit: etenim in *Phoc. pag.* 626. loquens de dubio eventu prælii ad Thyream prædicto a Sibylla ſubdit: Αργεῖοι δὲ ἀξιῦ]ες ἐσχηκέναι πλέον ἐν τῷ ἔργῳ χαλκῦν τιν ἵππον τὸν Δύριον δῆθεν ἀπέςειλαν ἐς Δελφύς. *Argivi vero ſecum præclarius, quam cum hoſtibus actum rati, æneum equum ad exemplum Durii, ſeu Trojani Delphos miſerunt.*

Antiquum Argivorum in Thyreatidem jus dixeram ſuperius, id quod non ex uno Herodoti loco colligitur, & *p. cit.* ita ille: Τὰς γὰρ Θυρέας πύυσας, ἐύσας τῆς Αργόλιδος μοίρης, ἀποταμόμενοι ἔχον οἱ Λακεδαιμόνιοι. *Quem locum Thyreas, etſi Argolidis partem, Lacedæmonii tamen decerptum tenebant.* Et paullo poſt, dum narraſſet, quæ Argivi olim late poſſederant, ſubjicit: Βοηθησάντων δὲ Αργείων τῇ σφετέρῃ ἀποταμνομένῃ. *Quum ergo Argivi agro ſuo ademto auxilium ferrent &c.*

Si quis nolit Haymii numum ab iiſdem cuſum, etſi multum in poſtica conſimilem, quia ſcilicet nulla hic Argorum indicia comparent, non repugnabo, quis enim moneta Britannica non inſpecta officinam divinaverit? Aſt quid tum

vetat

vetat dicere, uſiſſe adeo Lacones monetam ab Argivis procuſam, ut geminam ferirent ipſi? Sane ſi Haymii imaginem *Tab.* XXII. *N.* 8. inſpicimus, mente revocata ad illam κατάρην, cujus ex Herodoto ſuperius memini, videri poterit in ſignum victoriæ adverſa parte, aut Argivi caput jam detonſis capillis, aut victoris Othryadis (ante enim Lacones comati non erant) cælatum fuiſſe. Pilei Spartani nitidam ideam non habemus hactenus, neque enim arbitror eos iſtiusmodi faſtigio in bello uſos eſſe, quale Dioſcuri circumferunt, aut in averſa numi Haymii pro galea eſt habitum, quod ſane, ubi telis, & lapidibus agebatur, non parum fuiſſet incommodum; ejus vero figuram in imagine anticæ Theſauri Britannici exhiberi vel ideo ſuſpicor, quia aures etiam videntur aliquo loro religatæ, ſimilem autem Lacedæmonum cultum nobis Plato depingit in Protagora *pag.* 342. *edit. Steph.* Εξηπατήκασι τὰς ἐν ταῖς πόλεσι λακονίζοντας; καὶ οἱ μὲν τὰ ὦτατε κατάγνυνται, μιμούμενοι αὐτοὺς, καὶ ἱμάντας περιειλίττονται κ.τ.λ. *Nunc circumveniunt* (ſcilicet ſophiſtæ) *eos, qui in urbibus Laconicos mores ſectantur; alii quidem concidunt ſibi aures, & lora circumvolvunt &c.*

Ad poſticam jam transgredior. Id, quod mediam numi aream tenet, atque Cl. Haymius pro pharetra habuit, duplici ex capite columnam eſſe exiſtimo. Primum quod cum pharetris, quas numi præſertim Pontici frequenter objiciunt, non convenit; cui enim uſui illa tam lata baſis? An non transverſi illi cuſpides, aut haſtulæ impedimento potius militi eſſent, cujus in dorſo penderent? Deinde cum tam pilei ſpecies, quam Θ quadratum utroque in numo easdem areæ partes occupent, exiſtimo etiam id, quod

in

in medio adſurgit, ejusdem rationis in ambobus eſſe debere; aſt in noſtro ſane optime conſervato diſtinctiſſime, & baſis quadrata, & forma corporis non cylindrica, ſed paullo ſupra baſim turgens conſpiciuntur, quod qui ſcapum eſſe negaverit ad omnes artis leges elaboratum, in architectonicam peccabit non leviter.

Si ſtatua columnæ eſſet impoſita, eam arbitrarer, quæ Teleſillæ Argis ad templum Veneris conſtituta a Pauſania deſcribitur in *Corinth. lib. II. p.* 121.; cum vero epiſtylium in apicem abeat, atque in alio Haymii, Spartæ forſan percuſſo, etiam ſit conſignatum, columnam terminalem, quia de limitibus lis erat, exiſtimo, quarum uſum fuiſſe has inter gentes docemur ab eodem. *Ibid. p.* 157. loquens de finibus Lacedæmonios inter, & Argivos quodam a monte deſcriptis addit: Εςήκασι δὲ τοῖς ὅροις Ερμαῖ λίθȣ. *Erecti ſunt autem pro terminis lapidei Hermæ.* De finibus ad Thyreatidem hic ſermonem eſſe declarat, quod ſequitur de fluvio Tano, qui ſe in Thyreaticum ſinum exonerat. Erit autem, qui forſan Pauſaniæ verbis pertinaciter inhærens columnam ſe quidem, nullum tamen Hermam noſtro in numo conſpicere adfirmet. Huic ſuadeo, ut columnam, in qua fœderis tabulæ erant conſignatæ, agnoſcat; hunc enim morem fuiſſe apud Lacones ex Plutarcho habemus *Quæſt. Græc. pag* 292. Λακεδαιμόνιοι Τεγεάταις διαλλαγέντες ἐποιήσαντο συνθήκας, καὶ ςήλην ἐπ' Αλφείῳ κοίνην ἀνέςησαν. *Lacedæmonii Tegeatis conciliati fœdere icto communem columnam ad Alpheum conſtituere.*

Ad columnæ dextram noſtro in numo galeam potius, quam in Anglico Haymii agnoſcerem, quippe, ut cælata eſt,

 figura

figura flori multo eſt ſimilior; mediam hic inibo viam, & pileum, aut coronam, dum melius quid proferatur, habebo prælucente Athenæo *Dipnoſ. lib. XX. pag.* 678. de coronis Thyreaticis. Ουτω καλȣ̃νται ςέφανοί τινες παρὰ Λακεδαιμονίοις ὥς φησι Σωσίβιος - - - ψιλίνȣς αὐτȣ̀ς φάσκων ὀνομάζεσθαι, ὄντας ἐκ φοινίκων. φέρειν δ' αὐτȣ̀ς ὑπόμνημα τῆς ἐν Θυρέᾳ γενομένης νίκης κ.τ.λ. *Ita adpellantur coronæ quædam apud Lacedæmonios, ut ſcribit Soſibius - - - dicens, e palma factas nunc pſilinas nominari, easque victoriæ monumentum, quam ad Thyream obtinuerunt, geſtari &c.* Pileus ſane noſter ex palmæ foliis contextus eſſe poterat, ejusque uſus ante iam Thyreæ obtinuiſſe, cui etiam ob antiquum jus, & victoriæ ſibi adſcriptæ gloriam, etſi Spartam ad feſtum γυμνοπαιδίας traducto, mordicus inhæſerint Argivi.

Etſi forſan jam in ſingularis hujus numi explicatione ſim longior, duo tamen addenda videntur præterea, aliquid nempe de urbis ſitu primum, tum de dubio, quod ex monogrammate ſuboriri poſſet.

Regionem Thyreatidem Laconiæ fines adtigiſſe, ſæpe dictum, ad mare vero ſe porrexiſſe, liquet ex Thucydide *lib. II. pag.* 100. Η δὲ Θυρέατις γῆ μεθορία τῆς Αργείας, καὶ Λακωνικῆς ἐςὶν ἐπὶ θάλασσαν καθήκȣσα. *Thyreaticus vero ager medius inter Argivum, & Laconicum ad mare pertinet. Lib. IV. pag.* 246. ejus ſtatum, dum jam ab Æginetis incolebatur, explicat: Προσπλεόντων ȣ̃ν ἐπὶ τῶν Αθηναίων οἱ Αιγινῆται τὸ μὲν ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ, ὃ ἔτυχον οἰκοδομȣ̃ντες τεῖχος ἐκλείπȣσιν, ἐς δὲ τὴν ἄνω πόλιν, ἐν ᾗ ᾤκȣν, ἀνεχώρησαν, ἀπέχȣσαν ςαδίȣς μάλιςα δέκα τῆς θαλάσσης. *Athenienſi ergo claſſe adveniente Æginetæ murum, quem ad mare ædi-*

ædificabant, reliquerunt, & in ſuperiorem urbem ſtadiis circiter decem a mari remotam, quam incolebant, ſe receperunt. Arbitror, cum hic fiat mentio τῆς ἄνω πόλεως *urbis ſuperioris*, & quidem ἐν ᾗ ᾤκουν, *quam incolebant*, aliam aliquando habitandam, & non murum ſolum aliquem defenſionis cauſa molitos eſſe. Præter Thyream in hac regione urbem aliam Anthenem fuiſſe nobis idem patefecit *lib. V. pag.* 315. Ἔχει δὲ ἐν αὐτῇ Θυρέαν, καὶ Ἀνθήνην.

Quod dubium de monogrammate adtinet, ſuſpicabar fore forſan aliquem, qui hactenus dicta uno velut flatu everſurus, nulla utriusque lupi habita ratione, ob conſpectam in monogrammate lineam literæ P adverſam, elementum X efformantem, alterius urbis officinam noſtro numo quærendam eſſe contendat. Verum id tam facile expediam, quam vulpes pirum comeſt, atque Pauſania quidem juvante in *Achaic. pag.* 397. Δυνηθέντων δὲ ἔν τε Ἄργει, καὶ Λακεδαίμονι τοῦ Ἀχαιοῦ παίδων τοὺς ἀνθρώπους ἐνταῦθα ἐξενίκησεν Ἀχαιοὺς κληθῆναι· τοῦτο μεν σφίσι ὄνομα ἦν ἐν κοινῷ. *Confirmato vero imperio filiorum Achæi Argis, & Lacedæmone uſus obtinuit, ut tam Lacedæmonii, quam Argivi Achæi dicerentur: idque illis erat commune nomen.* Habes hic literæ X monogrammati implexæ rationem probabilem, quin invito anticæ, poſticæque lupo Argos deſeramus.

HIERAPOLITARUM.

Caput galeatum, ut videtur, Palladis.)(ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. Mercurius nudus ſtans d. burſam, ſ. caduceum geſtat. *Tab. I. N.* 10.

Non una in Aſia eſt Hierapolis: quatuor numerat Stephanus: aliam præterea e monetis ſibi eruere videtur Haymius Tom. II., quæ igitur noſtro numo patria? Artificio addente examinato, collatoque cum numis Hierapolis Phrygiæ, nusquam, niſi in hac numi hujus officinam quærendam conjicio. Cum urbs hæc teſte Stephano a templorum multitudine ἀπὸ τοῦ ἱερὰ πολλὰ ἔχειν, quorum veſtigia inter ejusdem ruinas a ſe etiam detecta ſcribit Sponius *Voyage Tom. I. pag.* 357. ſacræ nomen acceperit, quis dubitaverit Mercurium in horum aliquo cultum fuiſſe? Quid enim magis ſolitum, quam ab urbibus culta ſuis in aris domeſtica numina etiam in monetis repræſentari? Eſt vero pro Mercurii templo Hierapoli extructo peculiare aliquod, nec de levioribus argumentum. Narrat hac de urbe loquens Strabo *lib. XIII. pag.* 629. thermas ibi fuiſſe, atque illius ſitum indicat ſimul: Καταντικρὺ Λαοδικείας Ἱεράπολις, ὅπου τὰ θερμὰ ὕδατα: *E regione Laodiceæ eſt Hierapolis, ubi thermæ.* Deinde, poſtquam miros harum aquarum effectus deſcripſiſſet, ſubjicit: Ἐστι δὲ καὶ πρὸς βαφὴν ἐρίων θαυμαστῶς σύμμετρον τὸ κατὰ τὴν Ἱεράπολιν ὕδωρ, ὥς τε τὰ ἐκ τῶν ῥιζῶν βαπτόμενα ἐνάμιλλα τοῖς ἐκ καὶ κόκκου καὶ ταῖς ἁλουργέσιν· οὕτω δ᾽ ἐστὶν ἄφθονον τὸ πλῆθος τοῦ ὕδατος, ὥστε ἡ πόλις μέστη τῶν αὐτομάτων βαλανείων ἐστί. *Eſt vero aqua Hierapolitana adeo inficiendis lanis idonea, ut ex radicibus confecto jure tinctæ cum iis certent, quæ vermiculo, purpuraque tinguntur: tanta autem aquæ eſt copia, ut urbs tota plena ſit balneorum ſponte ortorum.*

Ex poſtremo hoc, & primo Strabonis loco ſic arguo: ſi nemo dubitat, Hygiam, & Teleſphorum in numo hujus urbis primum a Triſtano, atque iterum ab Haymio *Tom.*

II.

II. producto ſignatos, templo ob thermas & aquas ſalutares fuiſſe cultos, neque Mercurium, commercii & Minervam textrinæ præſidem in antica noſtri numi repræſentatos eo honore fruitos ambigendum ob pannorum optime tinctorum, enatique inde commercii celebritatem.

Ad utrumque hoc confirmandum præter Mercurii d. burſam tenentis ſignum, aptiſſime faciunt duo marmora a Sponio e parietinis deſcripta, atque *Voyage T. III. P. I. pag.* 150. *& ſeq.* nobis communicata; en primum.

ΤΟΥΤΟ ΤΟ ΗΡΩΟΝ
ΣΤΕΦΑΝΟΙ ſic
Η ΕΡΓΑΣΙΑ ΤΩΝ
ΒΑΦΕΩΝ.

Heroicum hoc monumentum coronat cœtus Tinctorum.

Quis hic vel tacente Strabone non colligit, artem hanc ſumma cum induſtria exercitam adeo viguiſſe, ut dives opificum collegium etiam publico monumento ordinis ſui ſplendorem commendaverit.

Commercium pannorum, idque longinquum in Italiam maxime floruiſſe, lapis alter luculenter oſtendit.

ΦΛΑΟΥΙΟΣ. ΖΕΥΞΙΣ. ΕΡΓΑΣΤΗΣ.
ΠΛΕΥΣΑΣ. ΥΠΕΡ. ΜΑΛΕΑΝ. ΕΙΣ.
ΙΤΑΛΙΑΝ. ΠΛΟΑΣ. ΕΒΔΟΜΗΚΟΝΤΑ.
ΔΥΟ. ΚΑΤΕΣΚΕΥΑΣΕΝ. ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ.
ΕΑΥΤΩ. κ. τ. λ.

Hujus

Hujus tamen a Cl. Sponio facta interpretatio ſpongiam exigere videtur; ita ille: *Flavius Zeuxis maitre ouvrier devant faire voile au delà du cap Malée en Italie avec 72. batimens s'eſt choiſi un monument* &c. Neque enim extra belli tempora claſſem tot navium, & privato quidem commiſſam apud veteres facile quis legerit: neque hæc ſententia cum more ſepulchralium inſcriptionum congruit. Exiſtimo igitur, quemadmodum milites ſuis in lapidibus ſtipendiorum, coronarum, aliorumve militarium præmiorum numerum, laudes nempe ſuas, inſcriptas optabant, ita mercatorem noſtrum pro poſtuma ſua gloria in monumento ſibi ſtructo exaratam voluiſſe ſuam & peritiam, & felicitatem, qua vitatis Maleæ promontorii tempeſtatibus toties in Italiam merces trajecerat. Quare cum critica æque, ac grammatica magis conſentiet ita conſanata interpretatio: *Flavius Zeuxis opificum magiſter, qui LXXII. ultra Maleam promontorium in Italiam navigationes perfecit, hoc monumentum ſibi &c.*

Dixi etiam grammaticæ legibus magis conſonam, etſi enim ſcio jurisconſultum L. 122. §. 1. De V. O. *Idque creditum eſſe in omnes* navigii *dies ducentos ſub pignoribus, & hypothecis mercibus a Beryto comparatis*: vocabulo *navigii* pro navigatione uſum, nunquam tamen Græci ſuum πλοος, aut πλοη (ut forſan per errorem ſcalptor in præſente marmore) ad indicandam navem adhibuiſſe commemini; navigationes nempe (& LXXII.) deſignat ſemper, ex quibus florens Hierapolitarum commercium abunde comprobatur.

CARYSTIORUM.

Caput bovis.)(K ſolum opere prominente. *Tab. I. N.* 11.

An-

Anticæ typus Eubœam aperte loquitur, quem ſcilicet hæc inſula ob lætiſſima paſcua, & boum copiam ſemper fere adhibuit: poſticæ litera etſi cum antica collata jacens adpareat, alia tamen, quam K eſſe non poteſt, quemadmodum dixi, dum de Eleorum numo agerem. Utraque vero pars numum, & valde antiquum, & ad Caryſtum referendum eſſe non dubiis notis oſtendit, de qua urbe Strabo *pag.* 446. Καρύστος δέ ἐστιν ὑπὸ τῷ ὄρει τῇ Ὄχῃ: *Caryſtus ſub monte Ocha ſita eſt.*

Peculiarem præterea cauſam habuerint Caryſtii bovem ſuo in ære feriundi, id quod ex comparatis numis, & donis Apollini Delphico oblatis conficio. De Elyriis Cretæ ita Pauſanias in *Phoc. p.* 637. Ἔστι δὲ ἐν τοῖς Κρητικοῖς ὄρεσι, καὶ κατ' ἐμὲ ἔτι Ἔλυρος πόλις· οὗτοι οὖν αἶγα χαλκοῦ ἀπέστειλαν ἐς Δελφούς: *Extat adhuc in Cretæ montibus urbs Elyros: ea civitas capellam æneam Delphos miſit.* De Caryſtiis noſtris idem *loco cit.* Καρύστιοι δὲ οἱ Εὐβοεῖς βοῦν, καὶ οὗτοι χαλκοῦν παρὰ τῷ Ἀπόλλωνι ἔστησαν ἀπὸ ἔργου τοῦ Μηδικοῦ. *Caryſtii ex Eubœa bovem & ipſi æneum Apollini dedicarunt ob Perſicam victoriam.* Novimus in Elyriorum numis capellam ſilveſtrem ſignari, neque enim de hujus oppidi anathemate nos docet Pauſanias, an domeſticæ, an montanæ ſignum fuerit: de harum ſane abundantia teſtatur Solinus *cap. XI. p.* 22. *Ager Cretenſis* (arbitror qua maxime rupibus horret, ut circa Elyrum) *ſilveſtrium caprarum copioſus eſt.* Quidni ergo dicemus ob boum copiam & in numo ſignaſſe, & Delphis ejusdem animalis æneam figuram obtuliſſe Caryſtios, neque enim probari poteſt cauſa a Pauſania indicata: ὅτι ἀπωσάμενοι τὸν βάρβαρον, τήν τε ἄλλην βεβαίως ἐκτήσαντο εὐδαιμονίαν, καὶ ἀροῦν ἐλευθέρᾳ τῇ γῇ: *Quia præ-*

præter conſtabilitam felicitatem aliam libero in ſolo ſibi arare licuerit; arbitror enim, æneorum boum armenta Delphos commigratura fuiſſe, quippe a ſingulis, quæ bello Perſico aliquid perpeſſæ erant, urbibus offerendi fuiſſent. Nec obſunt infantes, quos capræ ſubjectos memorat Pauſanias, cum a cerva nutritum Telephum ſciamus, puellique abſint in numis, poterant ſane eodem in dono & ad regionis ſuæ animalium genus magis frequens, & ad gentis ſuæ ex Apolline, & Acacallide nympha originem adludere.

CASSOPÆORUM.

Caput Jovis nudum ΛΥΕΔΑΜΟΥ vel ΛΥΩΔΑΜΟΥ, ut videtur.)(ΚΑΣΣΩΠΑΙΩΝ. Aquila inſiſtens fulmini intra lauream. *Tab. I. N.* 12.

Duas hujus nominis urbes præcipuas novimus, alteram in Corcyra inſula, alteram in continente Epiri ab illa ſolo freto diremtam cum regione ejusdem nominis inde a Cerauniis ad ſinum Ambracium porrecta, quam urbem Strabo *lib. VII. pag.* 324. dum euphoniæ cauſa Caſſiopen nominat, ſimul anteriores ejus regionis incolas, quos tamen Caſſopæos adpellat, nobis demonſtrat: Χάονες μὲν οὖν, καὶ Θεσπρωτοί, καὶ μετὰ τούτους ἐφεξῆς Κασσωπαῖοι, καὶ οὗτοι δ᾽ εἰσὶ Θεσπρωτοὶ, τὴν ἀπὸ Κεραυνίων ὀρῶν μέχρὶ τοῦ Αμβρακιακοῦ κόλπου παραλίαν νέμονται: *Chaones ergo, & Theſprotii, & poſt hos Caſſopæi, qui etiam ipſi Theſprotii, oram maritimam tenent, quæ a Cerauniis montibus ad ſinum Ambracium intereſt.* Omiſi tertiam Pindum verſus mediterraneam, quia minoris nominis.

Hæ-

Hæſitaveram primum, an Corcyrenſi, an Moloſſicæ, ut Epiroticam adpellat Stephanus, argenteum noſtrum numum adſcriberem: invitabat Corcyræorum maritima potentia, tum loca quædam autorum, quæ Caſſiopenſem inſulæ portum celebrem reddere videbantur, velut communem eorum, qui ex Italia vela facerent, ſtationem. Aulus Gellius *L. XIX. c.* 1. *Navigabamus a Caſſiopa ad Brunduſium mare Jonium.* Suetonius *L. VI. c.* 22. dubium auxerat, ubi ait: *Nec profectione dilata Nero, ut primum Caſſiopem trajecit, ſtatim ad aram Jovis Caſſii cantare auſpicatus eſt.* Notum ex Plinio *lib. IV. c.* 12. Jovis Caſſii templum in Corcyra inſula fuiſſe, de quo dum locum in Cl. Harduini editione conſulerem, ſatis mirari non poteram, qua cenſoria poteſtate Vir reverendus in notis numos ab Andrea Marmora *L. I. Hiſt. Corcyr.* relatos, atque una ex parte ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ, ex altera ΖΕΥΣ. ΚΑCΙΟC. inſcriptos *fictos*, & *adulterinos* promulget; Sane in eadem Viri honeſtiſſimi Ilgneri collectione numulum iſtiusmodi contrectavi, de quo nec mihi, nec Khellio tam rigido, quam intelligenti hoc in foro judici (quocum egi eadem ſuper re) vel ſuſpicionis umbra ſuboriri poterat.

Ex diverticulo redeo: videbantur hæc, aliaque veterum teſtimonia non exiguum Caſſiopenſi inſulæ portui ſplendorem conciliare, cui, ſi præterea, quantum mari valuerint Corcyræi, ſpectetur, argentea hæc drachma non male conveniret. Verum dubium paullo poſt omne diſcuſſit cum Strabonis locus, tum numi ipſius ſigna, & inſcriptionis ratio. Hic loco indicato: Καὶ πάλιν ἄλλος (λιμὴν) Κασσιόπη, ἀφ᾽ ὃ ἐπὶ Βρεντέσιον χίλιοι ἑπτακόσιοι ϛάδιοι: *Iterum alius portus*

Caſſiope, a quo Brunduſium ſtadia CIϽIϽCC. Eccur: ajebam: ante recenſitis portubus Panormo ſcilicet, & Onchimo ſimile itineris intervallum non adjicitur, niſi quia nautæ Brunduſio ſolventes hic navigationis ſibi terminum conſtituerant?

Collapſa illico fuit omnis commentatorum in Suetonium autoritas, qui Neronis iter ob Jovis Caſſii templum in Corcyram deflexerunt; non templi, ſed aræ Jovis Caſſii meminit Suetonius, deſtinationemque itineris præmiſerat his verbis: *Nec contentus harum artium experimenta Romæ dediſſe, Achaiam, ut diximus, petit.* Narrat deinde de oblatis per legatos muſicorum agonum coronis a Græciæ urbibus, atque properati itineris (non in Corcyram ſed in Græciam, adeoque via, quam Romani Brunduſio tenere ſolebant) cauſam ſubjicit: *A quibusdam ex his rogatus, ut cantaret ſuper cœnam, exceptusque effuſius ſolos ſcire audire Græcos, ſolosque ſe, & ſtudiis ſuis dignos ait*: ſequitur: *Nec profectione dilata.* Adverte præterea velle Suetonium captatam ex cantu gloriam ridicule exponere, quare ad primam, quæ forte in portu erat, aram artis ſuæ peritiam Græcis auribus Neronem obtruſiſſe multo veriſimilius; neque enim adeo reprehenſione dignum video, præ aliis negotiis templum, quod habebatur auguſtiſſimum, adiviſſe principem, ibique ob felicem navigationem decantato euchariſtico hymno Jovi gratias egiſſe.

Portus Epirotici celebritatem ex hiſtoria probavi hactenus, ut huic præ inſulari altero numum præſentem adſcriberem, verum hoc, ut ita loquar, natale ſolum ſibi numus

ipſe

ipſe vendicat, nam ſeu anticam, ſeu poſticam conſideres, Epiroticis, quos habemus, eſt ſimillimus, inſcriptio ipſa ΚΑΣΣΩΠΑΙΩΝ. eodem ſitu & literarum diſpoſitione, quo in illis ΑΠΕΙΡΩΤΑΝ. comparet, adeſt ad caput nomen, quod, ſicut in iis, cum quibus comparatio inſtituitur, magiſtratus eſſe poteſt. An pluribus ad ferendam ſententiam, numum in Epiro cuſum eſſe, opus teſtimoniis? Cum aliqua hæſitatione de nomine anticæ inſcripto loquebar; neſcio enim, an in minutis, & præter ultimas minus conſervatis literis ΔΙΟΣ. forſan præcedat, ut ΛΥΩΔΑΜΟΥ pro Jovis epitheto habendum eſſet. Aſt Epiroticorum aliorum numorum inſcriptio pro magiſtratus nomine ſtandum ſuadet, & ſimul novum argumentum contra officinam ſingularem ſuppeditat; exiſtimo enim, oppidum hoc communibus inſulæ magiſtratibus paruiſſe, atque forſan nec propriam aliquam pecuniam ſignaſſe.

Caput Jovis Dodonæi eſſe non dubito, cum Pauſanias in *Attic. pag.* 30. de Theſprotide agens: Eϛι *μὲν πȣ̃ καὶ ἄλλα θέας ἄξια ἱέρον τȣ̃ Δίος ἐν Δωδώνῃ, καὶ ἱερα τȣ̃ θεȣ̃ Φηγός*: *Et alia quidem ſpectatu digna ſunt, & Jovis in Dodona templum, ſacraque deo fagus.* Declarat id ipſum corona querna adverſæ partis, etſi enim primum fagus, quercus deinde oracula edebat, de quo idem Pauſanias in *Arcad. pag.* 490. *ἡ ἐν Δωδώνῃ δρῦς*; quercus Dodonæa, id tamen minime prohibebit ob ipſam nominis communionem aram aliquam Jovis Caſſii, ad quam cantaverit Nero, in portu noſtræ urbis fuiſſe ſtructam.

Ne mireris, dum tam Caſſiopen, quam Dodonam Moloſſidi a Stephano adtributam legeris, promiſcue enim utrumque regionis nomen uſurpatum eſſe luculentum profert exemplum Æſchylus in *Prometheo v.* 828.

Επεὶ γὰρ ἦλθες πρὸς Μολοσσὰ δάπεδα
Τὴν αἰπύνωτον τ'ἀμφὶ Δωδώνην, ἵνα
Μαντεῖα θῶκός τ'ἐστὶ Θεσπρωτοῦ Διός.

Poſtquam perveniſti in Moloſſam regionem
Et circa eminentem Dodonam, ubi
Oraculum & ſedes Theſprotii Jovis.

Uſus hic varius inde profluxit, quia Moloſſis dicebatur olim Theſprotis, atque hujus tum portio erat Moloſſis, cujus demum incolæ prævaluerunt.

Jam finirem de Caſſiope, niſi eodem in muſeo reperti duo ænei numi huc, niſi fallor, pertinentes me retinerent, en utrumque:

II. Caput muliebre alta ex floribus contexta corona ornatum.)(ΚΑΣΣΩ. Bos currens. *Tab. I. N.* 13.

III. ΚΑΣΣΩ. Caput ſimile.)(Aquila volans intra lauream ad cujus caudam ΑΙ. *Tab. I. N.* 14.

Ut ambos eidem huic urbi adſignem, præter epigraphen, & capitum ſimilitudinem ſuadet Plutarchus in *Quæſt. Græcis. Tom. II. pag.* 297. *Edit. Paris.* Τίνος ἔχεται διανοίας τὸ τοὺς ἀπάγοντας εἰς Κασσιοπαίαν τὸν βοῦν ἐξ Αἴνου τὰς παρθένους προπεμπούσας ἐπᾴδειν ἄχρι τῶν ὅρων.

Μήποτε νοστήσαιτε φίλην ἐς πάτριδα γαῖαν.

Quid

Quid rationis ſubeſt, quod, qui Æno Caſſiopæam bovem abducunt; iis virgines, quæ eos ad limites comitantur, adcinunt:

Utinam nunquam redeatis in dulcem patriam!

In ſolutione tamen hujus ænigmatis hallucinatus videtur Plutarchus, cujus hic verba adcurata interpretatione ſubjicio: *Ænianes,* ait, *primum a Lapithis pulſi circa Æthaciam, deinde ad Moloſſidem, & Caſſiopæam conſederunt, quæ regio cum nulli ipſis eſſet uſui, moleſtosque præterea haberent vicinos, in Cirrhæum campum duce Onoclo rege tranſiverunt, ubi cum gravi ſiccitate premerentur, juſſu, ut fertur, oraculi Onoclo interfecto, rurſum vagati eam occupaverunt regionem, quam nunc obtinent bonam, & feraciſſimam:* Ὅθεν εἰκότως εὔχονται τοῖς θεοῖς εἰς τὴν παλαιὰν πατρίδα μὴ ἐπανελθεῖν, ἀλλ᾽ αὐτοῦ καταμένειν εὐδαιμονοῦντας: *Itaque non abs re diis ſupplicant, ne unquam in antiquam patriam redeant, ſed felicibus ibi permanere liceat.*

Ridiculum ſane, & iniquum propempticon, ſi id ori Æniarum puellarum, quæ ſuos ad limitem Caſſiopææ comitatæ erant, decantandum obtruditur, ut tamen ex Plutarchi verbis videtur. Novimus ex paullo ſuperius deſcripto loco Æniis vel Ænianibus, ut Plutarchus, regionem Caſſopæorum parum commodam fuiſſe, an puellas in ſuos gentiles tam impias nobis fingemus, ut hos nunquam reduces velint in regionem ἀγαθὴν, καὶ πάμφορον? Parum enim hanc imprecationem emollit poſtremum illud εὐδαιμονοῦντας. Melius multo ſonabit, ſi Caſſopæas virgines cantantes inducamus; utrumque enim fert vocabulum προπεμπούσας, & quod de limite additur, ambiguum eſt omnino. Quare arbitror forſan piaculi alicujus expiandi cauſa bovem ſtatis tempori-

bus pompa aliqua religioſa in Caſſopæam regionem, aut Caſſiopen ipſam ab Ænianibus adductum, quos virgines ſubinde Caſſopææ ad limites usque his votis fuerint proſecutæ, cui opinioni ipſi noſtri numuli ſuffragantur.

Coronata præter morem tam denſo ſerto puellarum capita, uti ad nullam dearum facile referri poſſunt, ita optime cum religioſa pompa conveniunt; an vero Caſſopæi, quorum epigraphe numo eſt inſerta, Ænianas virgines ad terminos ſolum ſuum bovem comitatas, ſuo in ære ſignaverint? Quare ſuas potius, quæ abeuntes ad Caſſopææ limites ſacro quodam ritu deducebant, repræſentaſſe arbitror, hæ ſane deos precari poterant, ne unquam Ænianes in Caſſopæam, quæ ſibi jam dulcis erat patria (neque enim illa, quam ad Pindum tum obtinuerint regionem, ab Ænianibus toties vagabundis παλαία πατρίς dici poterat) redeant hoſtili aliqua incurſione. Adeſt denique pro pompa in horum numorum altero bos, in altero aquila, quæ montanis Pindi incolis, vel accolis eſt adcommodatiſſima, cum noverimus inſulas magis ſcopulis horrentes, ut Seriphum, & Siphnum ejuſcemodi aquilæ typo uſas, quæ noſtro in numo per A I adſcriptum non obſcure Ænianes indicat. Habes hic, lector benevole, utriusque numi explicationem juvante Plutarcho, qua meliorem, ubi quis protulerit, ſententiam lubens mutabo, præſertim ſi æneos hos duos numos probabili ratione ſubnixus alteri mediterraneæ ad montes ſitæ Caſſiope adtribuere voluerit.

LAO-

LAODICENSIUM.

Caput hedera coronatum, ad cujus cervicem monogramma.)(ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. Ciſta Bacchi inter pileos Dioſcurorum ſuis aſtris inſignes. Optime conſervatus eſt hic numus, & viridi ærugine pulcherrime incruſtatus. *Tab. I. N.* 15.

Primum averſam adgrediar, cujus ſcilicet explicatio me non multum detinet; nam & Dioſcurorum, & Bacchi adtributa eam monſtrant Laodiceam, quæ in Phrygia ad Lycum fl. jacet; Dioſcurorum enim cultum hac in regione viguiſſe, oſtendunt numi Phrygiæ absque omni dubio concedendi, ΑΚΜΟΝΕΩΝ apud Arrigonium, & ΑΠΑΜΗΝΩΝ ſatis triti: Bacchi autem religiones etiam ibidem invaluiſſe teſtatur Strabo *pag.* 470. & 471., ubi multis eas deſcribit, atque ex Thracia (cujus coloni erant Phryges) translatas ſuſpicatur: Καὶ ἐκ ἀπεικόςγε, ὥσπερ αὐτοὶ οἱ Φρύγες Θρακῶν ἄποικοι εἰσὶν, ἔτω καὶ τὰ ἱερὰ ἐκεῖθεν μετενήνεκται. Confirmant idipſum ciſtophori a Cl. Seguino *edit. ult. pag.* 80. & *ſeq.* producti, atque ob inſcriptum LAO. Laodiceæ noſtræ adtributi. Numos enim iſtiusmodi in Sabaziis percuſſos multis eruditiſſime oſtendit Cl. Panelius e S. J. libello ſingulari *de Ciſtoph.*

Plurimum negotii faceſſivit antica; hedera enim bacchantem, aut Bacchum exhiberi ſuadebat: ſed contra pugnabat facies pro bacchante nimium maſcula, pro Baccho ſevera nimium. Monogramma EKAT. aperte ſe offerebat: nullum autem viri ad rem noſtram facientis nomen ex primis his literis compoſitum noveram; neque id mirum, quis enim ab hac mea adoleſcentia petierit, ut omnes veterum

libros

libros ita pernoſcam, ut nihil fugiat? De magiſtratus itaque nomine antiquariorum more cogitabam: obſtabat vero conſuetudo omnibus Phrygiæ urbibus communis, hujusmodi nomina in averſa, & quidem absque literarum compendio inſcalpendi.

His in anguſtiis ſuccurrit numaria quædam fortuna, qua ductus eum Strabonis locum, ubi de Phrygiis Bacchi religionibus agit, iterum adivi; nam ulterius lectionem perſecutus paullo poſt in fragmentum Heſiodi incidi, in quo ſolo hactenus noſtri Hecatæi nomen inveni: ita Strabo *pag.* 471. Ἡσίοδος μὲν γὰρ Ἑκαταίου, καὶ τῆς Φορρωνέως θυγατρὸ πέντε γενέσθαι θυγατέρας φησίν:

> Ἐξ ὧν ὄρειαι νύμφαι θεαὶ ἐγένοντο
> Καὶ γένος οὐτιδανῶν Σατύρων, καὶ ἀμηχανοεργῶν
> Κουρῆτές τε θεοὶ φιλοπαίγμονες ὀρχιστῆρες.

Ὁ δὲ τὸν Φορωνίδα γράψας, καὶ Φρύγας τοὺς κουρῆτας λέγει: *Heſiodus enim Hecatæi, & filiæ Phoronei quinque ait fuiſſe filias:*

> *Unde deæ nymphæ prognatæ Oreades extant,*
> *Inutile genus Satyrorum, & inania tractans,*
> *Curetesque dii, luſores ſaltatores.*

Is qui Phoronidem ſcripſit, tibicines Phryges facit Curetas.

Tum vero, ſi animum antiquitatibus ita immerſum circumferrem, quam alii quidam, hecatomben ſane Bono rei numariæ Genio feciſſem, meque mortalium omnium feliciſſimum arbitratus, cœlum terramque in gaudii mei partem vocaſſem. Etenim plurimas, graviſſimasque antiquarias difficultates momento ſublatas videbam: monogramma ſcilicet ſic legebam: ΕΚΑΤαιος, vel ΕΚΑΤερος, prout diverſæ Strabonis

bonis editiones ferunt, cum hoc conſentiebant omnia, congruebat faciei conformatio virum gravem præſeferens, congruebat hederæ corona ob Satyros nepotes, congruebat ciſta Bacchi, cujus comites Satyri, ipſa denique Phrygia congruebat ob Curetes pariter nepotes, quos aliqui Phryges faciunt.

MAGNESIORUM.

Caput Dianæ tutulatum prominente ad collum, ut videtur, pharetra.)(ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. ΛΕΥΚΟΦΡ. Eques galeatus cum haſta ſtricta decurrens. *Tab. II. N.* 1.

Magneſiæ Jonicæ, ſeu, ut vulgo ab aliis duabus diſtingui ſolet, Magneſiæ ad Mæandrum numum hunc adtribuo. Abeſt quidem figura illa ad angulos rectos inflexa, quæ in numo a Begero *Theſ. Brand. T. I. p.* 496., producto & noſtræ Magneſiæ melius, ut notavit Liebeus, adſcribendo aream totam coronat, & in aliis ejusdem urbis infimum numi ſegmentum occupat, ut apud Goltzium *Tab. XXI.*, & in alio argenteo apud Liebeum *Goth. Num. cap. V. p.* 183., cui ex eodem metallo geminum in muſeo Cl. noſtri Khellii contrectavi, ut adeo nota hæc pro Jonicæ Magneſiæ certo indicio, nequaquam tamen pro Mæandro, ut vult Liebeus, habenda ſit, quemadmodum oſtendam inferius. Ejus tamen in præſenti numo abſentiam abunde compenſat adpoſitum nomen ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. ΛΕΥΚΟΦΡυνης. *Dianæ Leucophrynes*, ſeu *candidis ſuperciliis*, de qua Pauſanias in *Att. pag.* 47. Τῆς δὲ εἰκόνος πλησίον τῆς Ολυμπιοδώρȣ χαλκȣ͂ν Αρτέμιδος ἄγαλμα ἕςηκεν ἐπίκλησιν λευκοφρύνης - - - Μάγνητες γὰρ - - - λευκοφρύνην Αρτεμιν ἄγȣσιν ἐν τιμῇ. *Prope Olympiodori ſtatuam Dianæ ex ære*

ſimulacrum Leucophrynes cognomento - - - Magnetes enim - - - Leucophrynem Dianam colunt.

Strabo, qui ſimul nos de urbis ſitu edocet, *lib. XIV. p.* 647. ita habet: Πρώτη δ' ἐστὶν ἐξ Ἐφέσου Μαγνησία πόλις Αἰολὶς, λεγομένη δὲ ἐπὶ Μαιάνδρῳ, πλησίον γὰρ αὐτοῦ ἵδρυται· πολὺ δὲ πλησιαίτερον ὁ Ληθαῖος ἐμβάλλων εἰς τὸν Μαίανδρον. *Prima ab Epheſo eſt Magneſia Æolica urbs dicta ad Mæandrum, quia vicina eſt huic fluvio: vicinior tamen multo urbi eſt Lethæus in Mæandrum ſe exonerans.* Tum vero, poſtquam urbem olim in campo ad Thoracem montem ſitam alio translatam narraſſet, addit: Ἐν δὲ τῇ νῦν πόλει τὸ τῆς Λευκοφρύνης ἱερόν ἐστιν Ἀρτέμιδος: *In ea, quæ hodie incolitur, eſt fanum Dianæ Leucophrynes.* In ejus ſubinde laudes effuſus ſubjicit, illud concinnitate, & arte in ſtructuram liberaliter impenſa omnia Aſiatica longe ſuperare, magnitudine vero, & donorum multitudine duobus ſolum in Aſia concedere, Epheſio nempe, & illi, quod eſt Dydimis. Ex his velut ſponte fluit caput adverſæ partis, quæ quidem minus eſt conſervata, idem illud numen repræſentare, cujus nomen averſæ eſt inſcriptum.

Poſticam autem ipſam nullo negotio explicabit, qui veterum coloniarum morem, metropolium typum adſumendi, atque earum laudes ſuis in numis conſignandi adtente perpenderit. Ita Dyrrhacheni vaccam cum vitulo lactante, quam in antiquioribus Corcyræi, (cujusmodi in laudato Khellii muſeo) ſignaverant, Pegaſum Corinthiorum retinuere Syracuſani &c. Etenim de Magnetum origine ita Strabo *lib. XIV. pag.* 636. Ὑπέρκειται δὲ (Χαρώνιον) Μαγνησία ἡ πρὸς Μαιάνδρῳ, Μαγνήτων ἀποικία τῶν ἐν Θετταλίᾳ, καὶ Κρητῶν. *Supra* Charonium) *ſita eſt Magneſia ad Mæandrum, colonia Magne-*

tum

tum Theſſalicorum & Cretenſium. Jam vero Theſſalos equitatu excelluiſſe & bellorum Græcorum hiſtoria, & ejus regionis numi demonſtrant liquidiſſime: immo Magnetes ipſos Theſſalicos eo maxime valuiſſe teſtatur Lucanus *L. VI.* v. 385.

Et Magnetes equis, Minyæ gens cognita remis.

Magneſiorum originem dum diutius perſcrutabar, dubium ſubiit, an non cum Cl. Liebeo *loco cit.* antiquarii hactenus alii hallucinati non parum fuerint, dum figuram ad plures angulos rectos ductam, quam in hujus urbis numis ſæpius repræſentatam diximus, pro Mæandri indicio habuerunt, & paullo poſt mihi gratulatus ſum, me hic aliquid primum fortaſſis inveniſſe, quod alios hactenus fugerat, & cujus cognitio rem numariam locupletaret. Eccur: ajebam: anguli recti nobis hic obtruduntur pro fluminis curſu deſignando? Ut enim omittam, nihil magis a fluentium aquarum natura abhorrere, quam iſtiusmodi ad artis leges contorſionem, quæ ædificio, aut tandem effoſſis hominum induſtria canalibus potius conveniret, an forſan Magneſii ſcalptores ignoraverint id, quod nos poſteriores ſcriptores docuere, Mæandrum ſuis flexibus formas literarum ξ, ζ, ς, ω, ε imitari? Profecto in ejus fluminis adcurata imagine, quam Sponius *Voyage T. I. pag.* 332. profert, fruſtra angulos rectos quæſiveris. Cur præterea nulla alia urbs, quæ Mæandro adluebatur, ſimilem prodidit ſui fluvii formam? cur unica Magneſia, quæ tamen multo viciniorem habebat Lethæum, quemadmodum ex indicato Strabonis loco diſcimus? Cretenſis labyrinthi ichnographiam ſimilibus fere ductibus in non paucis ejus inſulæ numis exhibuere monetarii: Cretenſium coloniam fuiſſe noſtram Magneſiam ex Strabone auditum eſt: cur ergo non potius, ut aliam a Theſſalis ductam originem per equitem,

ita Cretenſem per ſignum in Cretenſi ære etiam antiquiſſimo vulgare, manifeſtare nobis voluiſſe gratos colonos exiſtimemus? Nulla hic naturæ legibus, nulla hiſtoricis, iisque de viſu teſtibus vis infertur, a qua, qui Liebeus abſolvi poſſit, non video.

MEGARENSIUM.

Caput Dianæ tutulatum prominente ad cervicem pharetra.)(ΜΕΓΑΡΕΩΝ. Lyra. *Tab. II. N.* 2.

Quemadmodum quibusdam rebus aliis perſæpe evenit, ut raritate ſola ſe commendent, ita huic etiam numo accidit: non adeſt in Gesneri collectione, idque demum omne illius laudum eſt compendium, ad eruditionem enim minus materiæ ſuppeditat. Atticæ Megaræ eum tribuendum ſuadet inſcriptio, cum Sicula alia fere ΜΕΓΑΡΑΣ. epigraphe utatur. Congruunt etiam utriusque partis typi. Narrat Pauſanias in *Att. pag.* 76. vicinum oppido Rhun in Megaride Attica fuiſſe monumentum Hylli Herculis filii, & Iſidis templum, καὶ παρ' αὐτὸν (ναὸς) Ἀπόλλωνός ἐστι, καὶ Ἀρτέμιδος, *& ſecundum illud* (templum) *Apollinis*, *& Dianæ*, illudque ab Alcathoo ob occiſum leonem Cithæronium tyrannide potito, fuiſſe excitatum. Etiamſi autem ſubinde controverſiam de Megarenſium narratione ſuſcitet laudatus autor, nuſpiam tamen verba ea in dubium revocat, quibus dixerat, templum dedicatum nomine Dianæ Agroteræ, & Apollinis Agræi: τὸ ἱερὸν ποιῆσαι τοῦτο (Φασὶ) ἀγροτέραν Ἄρτεμιν, καὶ Ἀπόλλωνα ἀγραῖον ἐπονομήσαντα. Venatricem in antica, in poſtica ex lyra Apollinem agnoſco.

MES-

MESSENIORUM.

Caput muliebre tutulatum.)(ME Juppiter nudus gradiens d. fulmen vibrat, ſ. protenſa aquilam portat; in area hinc ΞE., inde tripus. *Tab. II. N.* 3.

Quanta cautela in iis, quæ numis ſunt inſcripta, verſandum, luculentum præbebit exemplum cum hic, tum alii ejusdem urbis ſubjiciendi numi; fit enim ſæpe, ut vocabulorum initiis, & compendiis, aut pro magiſtratuum, aut urbium nominibus abutantur antiquarii, quibus volupe eſt ignotos nullos numos ſua inter cimelia adſervare, præſertim dum de iis agitur, qui ad patriam ſuam adcommodari poſſunt. Duplex hinc error ſuperiore potiſſimum ſeculo enatus: primus, quo magiſtratuum nomina ex defectu plurium numorum, quibuscum unus aliquis comparari potuiſſet, urbibus fuere adtributa, quibus literæ utcunque congruebant, etiamſi antiquario commento novæ aliquando ſtruerentur nulli geographorum cognitæ. Alter, quo nomina urbium paucis literis indicata pro magiſtratibus habebantur.

Prioris lapſus indicia aliqua nobis dedit Cl. Barthelemy muſeo regio Pariſiis præfectus *Mem. de l'Acad. des inſcript. & des belles lettres. T. XXVI. p.*542. Videmus ibi *Euſaram* urbem ex vocabulo magiſtratus ſecundo R. P. Harduini ingenio procreatam, quæ tamen fuit nuſpiam; ita ex Mileſiorum numo, in cujus averſa leo cum aſtro, Goltzius ob inſcriptum ΚΟΛΧΩΝ. Colchorum monetam, Harduinus ex eodem Golgos Cypri oppidum eruit neglecto monogrammate ex M, & I compoſito, quod in uno Goltzianorum, & in pluribus iſtiusmodi regis Galliæ videtur, ut adeo illud pro magiſtratus nomine fuerit habitum.

Idem noſtro ME eveniſſe dubitari vix poteſt; protulit Goltzius inter numos magnæ Græciæ *Tab. XXVIII. N.* 3. unum aliquem, quoad ſigna tam anticæ, quam poſticæ noſtro ſimillimum, verum ob adſcriptum, & forſan male lectum ΚΑΡΚΙΝΙΩΝ. neglectumque, & in cælata imagine omiſſum monogramma (vix enim abfuiſſe dubitare poſſum) urbi in Brutiis fuerat adjudicatus. Dubiam hanc opinionem jam fecit numus a Cl. Khellio adſervatus, qui præter ME infra Jovis dextram eadem ſcribendi ratione nomen ΔΕΞΙΑΣ. repræſentat, hunc præ alio Ilgneriano *Tab. II. N.* 5. exhibito commemoravi, quia in hoc Juppiter haſta armatus a Goltziano typo diſcrepat.

Ut ut Khellianus numus certum faceret, perpendiculares, ut ita loquar, epigraphes, qualis *N. V.* eſt ΝΙΚΑΡΧΟΣ. *N. VII.* ΔΙΩΝ. tum illa aliorum compendia, ut in *N. IV.* ΞΕ. *N. VI.* ΔΙ. ob varietatem, manente eodem ſemper ME., magiſtratuum nomina eſſe habenda, dubium tamen, cuinam urbi, cujus nomen ab his literis inciperet, vendicari poſſet id genus monetæ, ſuperabat. Retulit quidem muſeum Theupoli ſimilem cum magiſtratu ΔΑΜΙΩ. ad Meſſenem Peloponneſi, attamen felici potius divinatione, neque enim alter ibidem adnotatus, atque ΜΕΣΣΗΝΙΩΝ. inſcriptus ob ſignatum in adverſa Æſculapium ad firmandam conjecturam forſan ex fabrica ductam multum facere poterat.

Succurrit tandem Ill. Arrigonius, qui ſuos inter urbium, & populorum numos, eum nobis communicavit, quem *N. IV.* etiam cælari feci, idem hic in averſa Juppiter,

ter, tripus, corona, ut in adductis quatuor. Optandum ſane, ut ſimilis aliqua fortuna tribus aliis ex eodem Ilgneriano muſeo depictis numis obtingeret, quos hunc etiam in finem eruditis proponere volui; en illos:

I. Caput juvenile comis retortis, atque miro pilei genere tectum.)(ΠΑΜ. Pharetra, quam hinc tridens, inde prora navis ambit, infra ΦΑΗΣ. Numulus optime conſervatus. *Tab. II. N.* 8.

II. Prora navis.)(Monogramma M intra lauream. *Tab. II. N.* 9.

III. Caput Jovis laureatum.)(TEP. infra equi currentis ventrem; ſupra dorſum IA. *Tab. II. N.* 10.

Ad hunc aliquantiſper ſiſtam, antequam me ad ſigna noſtrorum Meſſeniacorum explicanda conferam. Ediderat ex theſauro Gothano *cap. V. pag.* 178. Cl. Liebeus hujusmodi numum cum dimidio ſolum equo, infra quem TEP. ut in noſtro, ad jubas equi KE. Aſt virum eruditum immaturam conjecturam nobis obtruſiſſe, cum eundem Cephalenæ inſulæ arbitratur, manifeſte tam ex noſtro, quam ex alio muſei Granelliani collegii Academici S. J. liquet: in horum utroque eodem loco ſignatum eſt TEP, in Granelliano vero pro KE. Gothani, aut IA noſtri diſtincte legitur IE, ut adeo invariatum illud TEP. urbem, & forſan Terinam Bruttiorum deſignare, aliæ autem literæ vel ad magiſtratuum nomina, vel ad numeros referri debeant. Perjucundum, & gratiſſimum erit mihi, ſi viri magis in arte verſati, atque ad ditiſſima muſea adſidentes ſuam de hac numorum triga opinionem, datis ad me, vel Cl. Khellium magiſtrum meum epiſtolis ſignificaverint. Atque utinam

nu-

numorum poſſeſſores, quemadmodum nuper Pariſiis certorum regum numiſmatibus alia incertorum ſunt ſubjecta, ita ignotarum etiam urbium monetas cælatas inter ſe communicarent.

Ad typos Meſſeniacorum propoſitorum illuſtrandos adgredior. Caput anticæ Meſſenes Triopæ filiæ eſſe videtur, de qua ſatis egi ad numum Thuriatarum pag. 37. Jovem fulminantem averſæ Ithomatam eſſe non dubito, cujus templum in arce Meſſenes fuiſſe ſcribit Pauſanias *Meſſ. pag.* 278. ad quod aqua ex fonte clepſydra dicto comportabatur quotidie: *Φέρουσί τε ἀνὰ πᾶσαν ἡμέραν ὕδωρ ἀπὸ τῆς πηγῆς ἐς τοῦ Διὸς τοῦ Ἰθωμάτα τὸ ἱερόν.* In nullo noſtrorum numorum tripus abeſt, qui ſane Jovem Ithomatam eodem teſte *pag.* 239. quam optime confirmat; narrat enim viceſimo belli anno conſultum oraculum Delphicum ita reſpondiſſe:

> *Τοὺς τρίποδας περὶ βωμὸν Ἰθωμάτα Διῒ πρῶτος*
> *Στήσασι δεκάδων ἀριθμὸν δὶς πέντε, δίδωσι*
> *Σὺν κύδει πολέμου γαῖαν Μεσσηνίδα δαίμων.*
>
> *Primus Ithomæi tripodas circum Jovis aram*
> *Qui ſtatuit decies denos, hic ſorte ſecunda*
> *Meſſenem capiet.*

Subjicit deinde Meſſenios, cum ipſis ad æneos tripodas pecunia non ſuppeteret, ligneos fieri curaſſe minime dubios ſe, quibus domeſticus in arce eſſet Juppiter, oraculi effatum impleturos. Verum deluſi ſunt a callido quodam Spartano Oeballo homine vili, neque ſuis ſatis noto, ad quem, quum forte Pythiæ reſponſum relatum erat, fictiles totidem tripodas, venatoris habitu Ithomen agreſti turbæ im-

immixtùs petens, noctu dedicavit. Videntur Meſſenii poſt ſuum in patriam reditum (id quod præclaro Epaminondæ conatu ſub annum A. X. 369. acciderat) Spartanorum hanc fraudem ſubſtitutis forſan, rebus jam integris, totidem æneis ſuo in ære conſignare voluiſſe. Novum huic conjecturæ momentum adcedit ex eodem Pauſania *in Eliac. p.* 332. de Metapontinorum, & Leontinorum donis agente Προέλθόντι δὲ ὀλίγον Ζεύς ἐςι--- ἀετὸν ἔχων ὄρνιθα, καὶ τῇ ἑτέρᾳ τῶν χειρῶν κεραυνόν· *Progreſſis aliquantum offert ſe Juppiter altera manu aquilam avem, altera fulmen tenens.* Et paullo inferius: Ιδίᾳ δὲ ἄνδρες Λεοντῖνοι, καὶ ἐκ ἀπὸ τῦ κοινῦ Δία ἀνέςησαν--- ἐν ταῖς χερσὶ ἀετός τέ ἐςι αὐτῷ καὶ τὸ βέλος: *Leontini quidam privata, non publica, pecunia Jovem erexerunt, qui manibus aquilam & telum tenet*, vel, ut interpres Latinus in hac editione, *læva aquilam, dextra jaculum præfert.*

An quid adcommodum magis ad noſtrorum numorum typos dici potuiſſet? Poſtrema enim Jovis deſcriptio cum numo *N. VI.* poſito, alia cum reliquis conſentit, ut nihil magis. Scimus finitis diuturnis illis duobus Meſſeniacis bellis ejectos incolas aliquos Naupactum conſenſu Athenienſium, alios in Siciliam commigraſſe, & quidni credamus ſedibus item aliquibus in magna Græcia captis Jovem ſuum, velut Palladium, illuc deportaſſe, ejus etiam apud illas gentes cultu inducto, ut omnino non dubitem, eadem figura, quæ in numis repræſentatur, Jovem in monte Ithome cultum, id quod nos celavit Pauſanias, etſi artificem Ithomatæ Jovis indicaſſet in *Meſſ. pag* 278. Τὸ δὲ ἄγαλμα τῦ Δίος Αγελάδα μὲν ἐςιν ἔργον, ἐποιήθη δὲ ἐξ ἀρχῆς τοῖς οἰκήσασι ἐν Ναυπάκτῳ Μεσσηνίων: *Signum Jovis fecit Ageladas iis olim Meſſeniis, qui Naupacti conſederunt.* Denique, quæ in plerisque

K areram

aream implet, corona perbelle ludos muſicos indicat, de quibus idem *Ibid.* Τὸ δὲ ἀρχαῖον καὶ ἀγῶνα ἐτίθεσαν μουσικῆς; *Ludos muſicos etiam priſcis temporibus inſtitutos fuiſſe.* Id quod ex ſubjectis Eumeli verſibus comprobat.

Τῷ γὰρ Ἰθωμάτα καταθύμιος ἔπλετο μοῦσα
Ἁ καθαρὰ, καὶ ἐλεύθερα ἄσματ' ἔχοισα.

Grata quidem ſemper tibi Juppiter incola Ithomes
Muſa fuit, puro quæ gaudet libera cantu.

SARDIANORUM.

Caput, ut videtur, Dianæ.)(ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. Minerva galeata ſtans d. Victoriolam, ſ. haſtam, & ſcutum ad terram : in area -- ΠΟΛ --- ΚΕΡΑΣ. *Tab. II. N.* 11.

Ex numi hujus necdum editi pretio aliquid forſan detrahet explicationis ambiguitas. Ex officina Sardiana prodiviſſe certum quidem eſt: certus item Sardium ad pedem Tmoli ſitus: Ὑπέρκειται, ſcribit Strabo *L. XIII. pag.* 625. δὲ τῶν Σαρδέων ὁ Τμῶλος εὐδαίμων ὄρος: *Imminet Sardibus Tmolus mons fertiliſſimus*, ob plures nempe rivos, atque ipſum Pactolum inde ortum, qui Hermi amplum campum jucundiſſime irrigant. De urbis laudibus idem antea præmiſerat: Αἱ δὲ Σάρδεις πόλις ἐστὶ μεγάλη, νεωτέρα μὲν τῶν Τρωϊκῶν, ἀρχαία δ' ὅμως, ἄκραν εὐερκῆ ἔχουσα· βασίλειον δ' ὑπῆρξε τῶν Λυδῶν· *Sardes urbs eſt magna, recentior quidem bello Trojano, antiqua tamen, arcem probe munitam habet: regia vero erat.* Hucusque ſecuro paſſu proceſſum eſt, at non tam facile explicatur hujus adverſæ typus : etenim Dianam quidem oſtendunt capilli in nodum collecti, circa ipſum capitis verticem, ſed pro pharetra, quæ alias ad humeros prominere ſolet, inſtrumentum ſceptro illi ſimilius emicat, quod Junoni a mone-

tariis

tariis alias adſignatur. An Lydiæ alicui reginæ tribuetur? Forſan haſtile venatrici congruens repræſentatur? In Dianam ſane, ſeu ſceptrum, ſeu venabulum ſit, magis inclino; cui conjecturæ ſuffragatur etiam Herodotus, qui *lib. IV. pag.* 233. meminit Αρτέμιδος Βασιλήιης, *Dianæ regiæ*, cui cognomini optime conſentit inſigne regium. Narrat laudatus autor hujus cultum, ex Hyperboreis, ſeu ultimo ſeptentrione per plurima loca media ſenſim perveniſſe Delum usque; an non ex hac inſula facile in vicinam Aſiam transferri poterat, atque ita Sardes uſque venire, & a Sardianis ſignata etiam pecunia condecorari?

Idem evenerit Minervæ, cujus ſignum in averſa conſpicitur: hæc enim dea, & ejus cultus ex Græcia per frequentia Athenienſium bella in Aſiam minorem absque ullo negotio poterat invehi, niſi quis velit a Xerxe præter Harmodii & Ariſtogitonis ſtatuas, alias etiam deorum in Aſiam deportatas. Inſcriptionem quod adtinet, τὸ ΠΟΛ - - - non cenſeo legendum ΠΟΛιαρχȣ, quod quidem in numis imperatorum ab hac urbe percuſſis frequenter magiſtratus nomini præmittitur, nam poſt Λ certa fere veſtigia literæ Ε vel Ω cernuntur, unde ambæ lineæ conjungendæ potius ita, ut vocabulum ΠΟΛΕΜΟΚΕΡΑΣ exeat, quod an magiſtratus nomen, an Minervæ epithetum, diſpiciant, qui me magis in re antiquaria verſati ſunt. Adpoſitum deæ tamen pene mavelim, cum magiſtratuum nomina in liberæ hujus urbis moneta tam apud Geſnerum, quam in muſeo Theupoli, & Arrigonii ſcalptis tabulis fere abſint, aut per ΕΠΙ. indicentur, cujus unus aliquis in muſeo Theupoli, in poſtica ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ, inſcriptus, in antica ad caput muliebre laureatum ΕΠΙ. ΔΑΡΙΟΝ. conſignatur.

STRATONICENSIUM.

CTRATΘNЄIKЄ... Figura nuda Pegaſum currentem freno retinet.)(CTRATONЄIKЄωN. Ara luculenta utrinque faces ſingulæ. *Tab. II. N.* 12.

In re numaria non omnia profecto clara, atque evidentia poſtulaveris; in pluribus enim multum præſtiteris, ſi probabili aliqua conjectura ſpiſſas antiquitatis tenebras, tanquam exigua quadam luce excitata, non penitus quidem diſpuleris, ſed tamen minueris aliquantum; id quod ex præſenti etiam numiſmate pateſit, in cujus pertractatione ita verſabor, ut primum certa adnotem, dein adferam dubia. Velim primum, neminem commoveat, numum hunc e muſeo Khelliano depromtum nomen urbis utraque ex parte referre; adſunt enim hujusmodi exempla in numis apud Arrigoni *Tab. XX.* ΣΙΔΗΤΩΝ, & ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. Quod ad numi pretium adtinet, novimus Stratoniceæ noſtræ monetas duas ſolum hactenus Haymium *Tom. II.* protuliſſe.

Aliqua jam de urbis origine, ſitu, ornamentis deguſtemus, ex quibus ad typorum explicationem delabar. Conditorem, vel reſtauratorem potius (niſi forſan ex veteris illius ruinis, de cujus antiquo nomine agam inferius, in vicinia ſtructa fuiſſet) habuit Seleucum I. circa an. 292. A. X., qui ut a patre ſexdecim Antiochias, a matre ſex Laodiceas, ab ſe novem Seleucias, ita etiam ab uxorum altera tres Apameas, ab altera Stratonice noſtram hanc Stratoniceam adpellavit, quæ ita mediterranea Cariæ ornabat, ut de illa Strabo *pag.* 660. *Στρατονικεία δ᾽ ἐςὶ κατοικία Μακεδόνων· ἐκοσμήθη δὲ [καὶ αὔλη κατασκευαῖς πολυτελέσιν ὑπὸ τῶν βασιλέων· ἔςι δ᾽ ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Στρατονικέων δύο ἱερὰ, ἐν μὲν*

λαγί-

λαγίνοις, τὸ τῆς Εκάτης ἐπιφανέςατον, πανηγύρεις μεγάλας συνάγον καθ' ἐνιαυτόν· ἔγγυς δὲ τῆς πόλεως τὸ τȣ Χρυσαορέως Διὸς κοινὸν ἁπάντων Καρῶν, εἰς ὃ συνίασι θυσαντέςτε, καὶ βȣλευσάμενοι περὶ τῶν κοινῶν: *Stratonicea Macedonum eſt colonia, ipſa quoque pretioſo apparatu a regibus exornata: in agro Stratoniceo duo ſunt templa: unum Laginis Hecatæ ſacrum illuſtriſſimum, ubi quotannis magni agitantur conventus: prope autem ipſam urbem ædes Jovis Chryſaorii communis Caribus omnibus, qui eo ad ſacrificia, & deliberationes de republica conveniunt.*

Novum decus adjicit, ſimulque confirmatis Strabonis dictis, viam ad ipſorum typorum illuſtrationem ſternit Plinius *lib. V. pag.* 277. *Stratonicea libera:* hujus autem libertatis jus adſertum fuiſſe videtur duobus decretis indicatis a Tacito *Ann. lib. III. pag.* 478. quem ob præclaras in hiſtoriam politicas animadverſiones nunquam non maximopere venerabor: *Aphrodiſienſes poſthac, & Stratonicenſes dictatoris Cæſaris ob vetuſta in partes merita, & recens divi Auguſti decretum attulere .... Sed Aphrodiſienſium civitas Veneris, Stratonicenſium Jovis, & Triviæ religionem tuebantur.* Ex his vero clare adparet duas Straonicenſibus præcipuas fuiſſe religiones, Hecates nempe, & Jovis Chryſaorii, quas in noſtro numiſmate exhiberi arbitror.

Etenim, ut a poſtica, quæ ſimilis eſt alii Hierapolitarum ab Haymio *Tom. II.* productæ, incipiam, Hecates ſacra noctu peragebantur, unde cecinit Virgilius *Æneid. lib. IV. v.* 609.

Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes.


Quam probabile, hæc ſacra in ſuis numis expreſſiſſe Stratonicenſes, qui, quam Hecaten colerent, vel ad ipſum imperatoris tribunal ſummis ſtudiis declararunt. Quod ſi id præſti-

ſtiterunt, an ſacra noctemque melius, quam per aram, & accenſas faces indicaſſent? Neque quis numum Getæ apud Patinum *pag.* 255. obtruſerit, de Cerere enim a Stratonicenſibus peculiari aliqua ratione culta nullum habemus iſtiusmodi indicium.

Quid vero de antica ſentiendum? Non ita quidem facilis hæc diſceptatio: nam Pegaſus aut ſolus, aut cum Bellerophonte (nunquam commemini cum Perſeo) eoque armato comparet: noſtro in numo vir nudus, & omnino inermis ſe ſiſtit, & abſunt omnia alia adtributa, a quibus ſententiæ ferendæ manus velut præberi ſolent. Vadum tentabo tamen: novimus ex fabulis Pegaſum ex abſciſſi a Perſeo Meduſæ capitis ſanguine enatum una cum Chryſaore. Scimus ex Pauſania in *Eliac. pag.* 329. Stratoniceam cum circumſita regione Chryſaoridem adpellatam eſſe: Στρατονικεὺς Αριςέας (τὰ δὲ παλαιότερα ἥ τε χώρα, καὶ ἡ πόλις ἐκαλεῖτο χρυσαόρις): ſcimus ex Strabone *loco cit.* Stratonicenſes Jovem Chryſaorem coluiſſe: ſcimus ex numis Jovem ſæpe nudum exhiberi: an igitur in hac argumenti ſterilitate dici non poſſet, Jovem hic quoque repræſentatum, eique Pegaſum, qui, cum de Chryſaore moneret, ſimul nomen Jovis, & ipſius etiam regionis indicaret, fuiſſe adjunctum? Ad id ſane invitat Stratonicenſium religio, ut ſcilicet, qui in poſtica Hecaten impreſſerunt, ii in antica Jovem, quem non minus venerabantur, ferirent. Hæc quidem, dum commodius aliquid in lucem proferatur, ſufficiant.

TEGEATARUM.

Caput muliebre obverſum eleganti, ſublimique galea ornatum.)(ΤΕΓΕΑ. . . Cerva puerum lactans. *Tab. II. N.*


1
Æ
2
Æ
3
ΑΜΦΙΣ
ΣΕΩΝ
Æ
4
Æ
5
ΕΥΜΕ
Æ
6
Æ
7
ΘΟΥΡ
Æ
8
Æ
9
Æ
10
Æ
11
Æ
12
ΚΑΣΣΩ
ΠΑΙΩΝ
Æ
13
Æ
14
Æ
15
ΛΑΟΔΙ
ΚΕΩΝ
Æ


1
ΜΑΓΝΗΤΩΝ
ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ
ΛΕΥΚΟΦΡ
Æ
2
ΜΕΓΑ
ΡΕΩΝ
Æ
3
ΜΕ
ΣΕ
Æ
4
ΜΕϹ
ϹΗΝΙΩΝ
Æ
5
ΜΕ
ΔΙ
Æ
6
ΝΙΚΑΡΧΟΣ
ΜΕ
Æ
7
ΜΕ
ΔΙΩ
Æ
8
ΠΑΜ
ΦΑΛΗΣ
Æ
9
Æ
10
ΙΑ
ΤΕΡ
Æ
12
ΣΤΡΑΤΟΝΕΙΚΕ
ΣΤΡΑΤΟΝΕΙΚΕΩΝ
Æ
13
ΤΕΓΕΑ
Æ
11
ΣΑΡΔΙΑΝ
ΠΟΛ
ΚΕΡΑΣ
Æ

N. 13. Nullum Geſnerus Arcadicæ hujus urbis numum depinxit, neque enim eum urbibus adnumero, quem ipſe ex Haymii *Tom. II.* regibus, ob repræſentatum Alei diadematum caput inſerit, quemque ob Anglicum minus conſervatum eruditiſſimus Gallus ex ditiſſimo ſuo muſeo reſtituit nuper *Recueil de Medailles de Rois pag.* 33. Etenim Haymius non vidit a puella Palladis ſacerdote vas ſuſtentari, atque monogramma pro ara habuit. Numulus noſter, cui ſimilem, ſed minus conſervatum Cl. Khellius poſſidet, unicus hujus urbis foret, niſi alterum muſeum Theupoli protuliſſet, qui, etſi raritatis partem Ilgneriano eripiat, multum tamen huic concedere debet; quid enim ad eruditionem præclari erues ex numo in antica ΔΙΟΣ inſcripto cum ſigno Jovis victoriolam, & haſtam gerentis, atque in poſtica mulierem etiam haſtatam repræſentante? alia, eaque ſingularia antiquitatis bellaria offert noſter.

In antica Cererem exhiberi cenſeo. Ecquid, obſtrepit aliquis, ad hanc deam galea? Pauſanias reſpondebit liquidiſſime, dum in *Arcad. ſub finem p.* 542. de via agens, quæ Tegea Argos ducebat, ſubjicit: Κατὰ δὲ τὴν εὐθεῖαν αὐτοῦ δρῦς εἰσι πολλαὶ καὶ Δήμητρος ἐν τῷ ἄλσει τῶν δρυῶν ναὸς ἐκ Κορυθέων καλουμένης. *Secundum rectam viam locus eſt quercu plurima condenſus, & in eo templum Cereris Corythenſis*, ſeu a galeis cognominatæ. Merebatur ſane galea tam elegans, ut ipſi ſtatuæ nomen inderet.

Paucis interjectis, Liberi patris ſcilicet ædibus indicatis, continuat idem in rem noſtram adpoſitiſſime: Τὸ ἀπὸ τούτου δὲ ἄρχεται τὸ ὄρος τὸ παρθένιον, ἐν δὲ αὐτῷ τέμενος δείκνυται Τηλέφου· καὶ ἐνταῦθα παῖδα ἐκκείμενον φασὶ αὐτὸν ὑπὸ ἐλάφου,

τρα-

τραφῆναι. *Ab hoc* (ſcilicet templo Bacchi) *mons Parthenius incipit, in eo nemus oſtenditur Telepho ſacrum, in quo lactatum a cerva Telephum puerum dicunt.* Minime dubito eodem in luco ſtatuam Telephi ea, quam in numo habet, figura poſitam fuiſſe, cum de alia idem in *Bœot. pag.* 588. loquatur: Ενταῦθα (ἐν Ελικῶνι) καὶ Τηλέφῳ τῷ Ηρακλέυς γάλα ἐςὶν ἔλαφ☉ παῖδι μικρῷ διδῦσα. *Ibidem* (in Helicone) *eſt ſignum cervæ Telepho Herculis filio puero parvo ubera præbentis.* Habes hic averſæ explicationem nitidiſſimam, illudque ſingulare, voluiſſe Tegeatas ſacra duo loca tam ſibi vicina eodem in numo conjungere; ex quo præterea liquet, non ad Cretenſem Tegeam, de qua quidem præter Velleium & Stephanum nemo meminit, ſed ad Arcadicam numum noſtrum referendum eſſe, id quod non eadem confidentia de Theupolitano quis dixerit.

Omitto plura de Tegea bellis clara diſſerere; qui hæc volet, Polybium crebram illius mentionem facientem adeat. Telephum Herculis filium ſupra audivimus: natus hic ex Auge nympha, avi imperio in ſilva expoſitus, cum a cerva nutritus, ſummam futuræ ſuæ gloriæ opinionem Myſiæ regi injeciſſet, adoptatus ab eodem, ſucceſſor ſubinde in regno fuit: quia Græcos, Trojam per Myſiam proficiſci molitos, arcere conabatur, vulneratum ab Achille, non niſi malagmate ex rubigine ejusdem haſtæ confecto reſtitui potuiſſe paſſim narrant poetæ; præ multis ſit Ovidius *L. V. Triſt. Eleg. II. v.* 15.

Telephus æterna conſumtus tabe periſſet,
Si non, quæ nocuit, dextra tuliſſet opem.

FINIS.

MATERIA
TENTAMINIS PVBLICI

QVOD

IN COLLEGIO REGIO THERESIANO.

EX

ANNI HVIVS SCHOLASTICI

PRAELECTIONIBVS

QVOVIS, CVI LIBVERIT, PERICLITANTE

SVBIBIT

ILLVSTRISSIMVS DOMINVS

COMES ALOYSIVS CRISTIANI,

Philoſophiae, Matheſeos, & Hiſtoriæ in ſecundum annum Auditor.

MDCCLXII. Menſe Septembre Die

VINDOBONAE,

EXCVDEBAT GEORGIVS LVDOVICVS SCHVLZIVS,

VNIVERSITATIS TYPOGRAPHVS. MDCCLXII.